



Matthiolius
de
Facalfatibus
Simplicinm
Medicamentor

1571








4157

Wm Henderson

A

L

[illegible]



Wm Henderson

P. ANDREAE
MATTHIOLI
SENENSIS MEDICI OPVSCVLVM,
DE SIMPLICIVM MEDICAMENTORUM FACULTATIBUS SECUNDUM LOCOS & GENERA.

DE SIMPLICIVM Medicamentorum facultatibus secundum locos & genera.

Accesserunt quoq; Præfationes quædam huic opusculo admodum necessariæ, quarum enarrationem Epistola ad Lectorem indicabit.




LVGDVNI,


Apud Gulielmum Rouillium,

Sub scuto Veneto.

1571.

A 2





ILLVSTRI, AC GENEROSO D. VITO DE DO-RIMBERGIO,

Equiti aurato, Sac. Cæſar. Maieſtatis Conſiliario, & ad Illuſtriſs. Senatum Venetum Oratori, Domino ſuo obſeruandiſsimo,

Petrus Andreas Matthiolus Senenſis Medicus S. P. D.



TRES ſunt potiſsimũ cauſæ, quæ amorẽ, & amicitiam inter homines conciliant: vna proficiſcitur ab ipſius naturæ ductu, eſtq; arcana quædã ſimilitudo ſenſuũ, & animorum cõiunctio; hinc ſæpe accidit, vt quoſdam nunquã nobis antea cognitos primo intuitu, vel congreſſu amare incipiamus. Altera oritur à conſuetudine, & mutua cõuerſatione, ſiue vitæ ſocietate, quæ etiam non parum

habet momenti ad cōglutinandos ani
mos. Tertia ſita eſt in rebus externis,
vtpote officiis, & beneficiis, quæ inter
candidos amicos inuicem communi-
cari ſolent. Ab his tribus fontibus ami
citia noſtra vetus manat: nam quo
tempore ambo Goritij degimus, ego
te quaſi natura mea hortante amaui,
& colui propter virtutes tuas excel-
lentes, & ſingulares ingenui animi do-
tes, quæ veluti philtrum me in tui a-
morem rapuerunt. qui quidem amor
deinde familiari, & iucunda conuer-
ſatione ſenſim auctus, & tandem e-
tiam multis officiorum commoditati-
bus à te mihi præſtitis adeò confir-
matus, & ſtabilitus eſt, vt cum nulla
loci, vel temporum intercapedine mu
tari, quinetiam nec Lethæo flumine
ablui poſſe exiſtimem. Sed quoniam
beneficia non ſolummodo amorē con-
ciliant, verùm etiam ad reponendam
gratiam obligant, non ſatis mihi fue-
rit, ab amore, quo te cum veneratio-
ne complector, non diſcedere, niſi e-
tiam beneficiis à te acceptis gratiam
aliquam referam. Sed inter multa ge-
nera gratitudinis vnus modus mihi
peculiaris eſt, quo ego eos, qui de me
beneme

benemeriti ſunt remunerari ſoleo, nẽpe dedicatio librorum, & lucubrationum mearum. Hac igitur via volui tibi memor, ac gratus apparere, vel ſaltem gratitudinis, & obſeruantiæ conatum aliquem declarare, ſub nominis tui auſpicio emittẽs libellum hunc medicamentarium, pharmacopęis, medicis, & omnibus medicinæ ſtudioſis æquè etiam vtilem, ac neceſſarium. Et præter enumeratas cauſas huius meæ dedicationis etiam accedit alia, nempe quòd liber hic primò lucem experitur Venetiis, apud cuius vrbis Illuſtriſſimum Senatũ tu cum multa laude inuictiſſimi, ac potentiſſimi Cæſaris Maximiliani Secundi, perſonam ſuſtines, ac repræſentas, qui tuam prudentiam, rerum vſum, ac peritiam animaduertens, tibi ad celeberrimam, & ſplendidiſſimam totius orbis Rempublicam legationis munus demandauit. Præterea & hoc me non mediocriter impulit, quòd tu librũ hunc tibi deſtinatum, & intelligere, & iudicare potes, vtpote qui nobilitati, ac generis ſplendori literarum decus, & optimarum diſciplinarum cognitionem addideris. Poſtremò cùm tua ſa-

lus mihi ob eas,quas dixi, causas debeat esse charissima, librum mitto in quo multa tuendæ,& recuperandæ valetudinis auxilia non vulgaria te inuenturum esse non dubito. Accipe igitur Illustris Heros, quicquid est munusculi sereno vultu,& Matthioli modis omnibus tibi addictissimi memor esto. Benè, ac fœliciter vale. Oeniponti v. nonas Martij, anno
1569.

PETRVS

PETRVS ANDREAS MATTHIOLVS Candido Lectori S. D.



VM quæ de Simplicium medicamentorum viribus secundum locos, atque etiam secundum genera tum ex Dioscoride, tum ex nostris in eundem authorem commentariis certo quodam ordine collegimus, medico vsui profutura Medicis nõnullis viderentur, cumq; Commentariorum nostrorum volumen, vbi hæc scripsimus, non quocunque commodè circumferri poßit, rogauerũt me ij plurimum vt ea nunc iterum per se in enchiridio excudenda typographis traderem: Horum votis, cùm refragari nequiuissem, ne me, qui natiua quadam animi liberalitate in Reipublicæ vsum, mea sanè omnia, editis variis in linguis voluminibus, sempiternæ posteritatis memoriæ consecraui, nunc morosum, atq; auarum in re tam exigua deprehenderent, decreui, omnino eorum petitionibus satisfacere. Cæterùm quoniã simplicia, de quorum viribus ad morbos quosuis sanandos scripsimus, non ea

tantùm ſunt, de quibus meminere tum Dioſco
rides, tum etiam fortaſſe accuratius Galen. à
quibus eorũdem qualitates tam primas, quàm
ſecundas, & tertias edocti ſumus, ſed plurima
etiam ſint à poſterioribus, recẽtioribusq; mate
riæ medicæ profeſſoribus reperta, à quibus ne
tantillum quidem de primis, ſecundis, ac tertiis
qualitatibus eſt promulgatum, viſum nobis eſt,
non fore præter rationem, ſi huic opuſculo ali-
quid de ſaporibus omnibus adiungeremus. Id
quod poſtea præſtitimus præpoſita nobis ratio-
ne freti: quòd (vt Gale. eſt author) ex plan-
tarũ ſaporibus, & primæ, & ſecundæ planta-
rũ qualitates facilè dignoſci poßint. His quoq;
nonnulla addidimus de medicamentis, quæ pe-
culiariter tota ſua ſubſtantia operantur, & de
quorum facultatibus nulla ratio reddi poteſt.
Adiecimus quoq; quonam pacto ſimplex me-
dicamentum intelligi debeat, quòd ſcitu quoq;
neceſſarium ſit: quinetiam de primis, ſecundis,
ac tertiis ſimplicium medicamentorum qualita
tibus. Item quid agant quæ tenuium ſunt par-
tium, quæve craſſarũ, ac etiam præ cæteris no-
ſcendum eſſe quantũ vnumquodque medica-
mentum habeat caliditatis, frigiditatis, ſiccita-
tis, humiditatis, per gradus vſque ad quartum.
Id quod conſequi nemo poteſt, niſi aut degu-
ſtato ſapore, aut longa omnino experientia. Cæ-
terum cùm medicamenta de quibus ſecundum
locos,

locos, & genera ad morbos curãdos egimus, variis parentur modis: attexuimus etiam non nulla de eorum varia parandi ratione, nempe de Elixatione, Infuſione, ſeu maceratione, quin etiam de Deſtillatione non modò aquarum, ſed etiam oleorum ex aromatibus quibuſdam eliciendorum, quorum iam frequens admodum incipit eſſe vſus, ob admirabilem eorum præſtantiam, & de quibus parandis pauci admodum, aut fortaſſe nulli hactenus vera ſcripſerunt. Addidimus prȩterea pauca quædam de Colliquatione, & Diſſolutione, de Tritura, Torrefactione, Vſtione atque Ablutione. Quæ omnia ſi ignorentur ab ijs, qui medicamenta ſimplicia, ac etiam compoſita propinant, nullo prorſus pacto rectè mederi poterunt. Adiunximus quoque ex Galeno per catalogos ſimplicium omnium medicamentorum, de quibus ipſe meminit, primas qualitates per gradus vſque ad quartum: quinetiam ſecundas, & tertias: quas medicis ſcitu perquàm neceſſarias fore iudicauimus. Quæ omnia huic opuſculo addenda neceſſariò admodum viſa ſunt, quòd mihi perſuadeam, iis prius intellectis poſſe quempiam longè meliori ratione, ac ſecuritate noſtris collectis auxiliis in morbis omnibus vti. Itaque benigniſſime Lector hæc boni conſulas, & noſtris fruare laboribus. Vale.



DE SAPORIBVS MEDICAMENTORVM.

De amaro sapore. CAP. I.



Lib. de oculis. 7. de simp. med. fac.

AMARVS sapor calidus est, terrestris & igneus. Mundat enim, incidit, attenuat, abstergit, ásque præsertim quæ in iecore sunt obstructiones, incidit & calefacit, hactenus tamen, vt non vrat. Crassa eius est materia, atq; terrena, ab exuperante calore præassata. Itaque nouisse sat fuerit, qualitatem amaram omnem, calidis simul siccísque substantiis accidere, ac præter hæc tenuibus, & terrenis. Nam cùm ad extremam tenuitatem, atque elaborationem terrena pertingit substantia, tunc amara prouenit qualitas, in qua sanè vis est præcipua detergendi, quinetiam (vt diximus) meatus expediendi. Idque cum calore, haud tamen extremo, tametsi non instrenuè

4. de sim. med. fac. cap. 19

7. de sim. med. fac. c. de melanthio.

ſtrenuè calefaciat,& deſiccet, cùm terrenæ ſit eſſentiæ à largo calore extenuatæ. Atqui amara id quidem nõ perinde ac acria prę̨ſtare valent: quippe quamuis quę amara ſunt adſtringentibus ſint tenuiora, acribus tamen craſſiora habentur. Quamobrẽ neque tam facilè craſſos, lentóſque humores pertranſeunt velut ea, quæ tenuiore ſunt eſſentia, nec incidere perinde, vt ea quę ſunt craſsiora, nequeunt. In medio autem vtriuſque exceſſus ſint oportet, quę inciſura ſunt, nẽpe vt neque promptè penetrent, perinde vt flãma, neque dum cunctantur, tardántque, diſſecare non poſſint. Præterea cùm calor, qui amaris ineſt medicamentis, penetrãdo craſsiuſculam materiam ſecum ducat, ea quidem quicquid obuium eſt ſecũ rapit, & abradẽdo expurgat, ita, vt quò amarius fuerit medicamentum, eò valentius id moliatur. Siquidem Abſinthium (exempli cauſa) id moderatè agit, vt aloë, ariſtolochia, centaurium minus, & colocynthis non ſolùm expurgant, & abſtergunt, ſed etiam partes ipſas immodico vſu exaſperant atque corrodunt, & exulcerant. Quæ verò remiſſiore ſunt amaritudine, minus

4. de ſim. med. fac. cap 9

cum

tùm excalfaciunt, tum ſiccant, atque ad alia munia obeunda, imbecilliore ſunt facultate. Imò vbi amaritudo in vno, & eodem medicamento à refrigerãte qualitate vincatur, aut obſcuretur, illud quidem frigidum non calidum ſtatuendum erit. Quòd autem amarus ſapor in ſiccis conſiſtat corporibus, palam eſt, quòd minimè omnium amara putreſcãt, miniméque vermes, aliáque nonnulla animalicula, qualia in radicibus herbisque, aut fructibus putreſcentibus prouenire ſolent, procreent. Porrò quæ exactè amara ſunt (voco autem ita, quæ nulla ſenſu notabili alia participãt qualitate) omnibus propè animãtibus eſui inepta ſunt. Quippe cùm animal omne plus, minúsve ſit humidum, amara autem ſicca, haud aliter, quàm cinis & puluis, itaque neque cinerem, neque puluerem, neque fauillam, neque calcem, neque animal vllum eſitat, neque eorum, quæ planè amara ſunt quicquam. Vt autem medicamenta intro ſumpta, infarctus expediunt, craſſa attenuant, lentáque incidunt, ita, & exterius admota, ſordida vlcera, lichenas, impetigines, alphos, lentigines, & cętera, quæ cutẽ inficiũt,

4. de ſim. med. fac. cap. 20

expurg

expurgant & detergunt. Quinetiam amara, quòd ſiccando ſuperuacuos humores aut abſorbent, aut detergunt, & dulcedini ex qua facilè putredo gignitur aduerſatur, ratione optima putredinẽ arcet, & corpora diu integra conſeruat, vt præ cæteris Aloë.

De acerbo ſapore. CAP. II.

ACerbum omne appellatur, quod linguæ admotum valde deſiccat, contrahit, & in multam vſque profunditatem exaſperat; ſicut pira ſylueſtria immatura, & corna: ab auſtero intentione dũtaxat diuerſum. Siquidem auſterum Græcis id ſibi vult, quod mediocriter adſtringens. Acerbum quod vehementer id facit, genus vtrique cõmune adſtrictionis vocabulo ſignatur, nec etiam vtrum validè an obſcurè ea fiat declarãte. Atqui perſpicuum eſt quòd adſtringens, auſterum & acerbum, tria hæc nomina ſaporis qualitatem vnicam ſignificant. Porrò auſtera ſunt multa, vt mali punici genera, Cydonia mala, ac reliqua complura eſui apta. Sanè acerba haud quaquam iucunda, non ſolùm ea, quæ medicamentorum ſpeciem referunt, velut hypociſtis, & balauſtium, & galla, & rhus, ſed

1. de ſimp. med. fac. cap. 37

4. de cõp. medic. per gen. cap. 5

2. de ali. fac. cap. 1.

2. de locis affe. ca. 7

etiam

etiam illa, quæ cùm ſint huiuſmodi, recipiuntur in cibum, quamuis quę ſummè acerba ſunt, nutrire nequeant. Memineris autem velim acerbam qualitatem ſua quidem ipſius virtute, & refrigerare, & reſiccare, cuiuſmodi etiã acidæ qualitatis eſt proprium, ſed acidorum ſaporum tranſitum in ſentientibus partibus fieri conſpicitur, acerborum autem tardius: tum acida quidem in alto magis agere apparent, in ſuperficie autem acerba: quæ omnia craſſarum eſſe partium acerba indicãt, acida verò tenuium. Atqui vbi acerba alicui calefaciẽtium ſint admiſta, quod ex ambobus compoſitũ eſt, minus quidem in calfaciendi munere efficere, quàm alterum, ſiccando verò minus quàm vtrumque. Præterea omnia adſtringentia cõtrahunt ac denſant meatus, quin etiam vinciunt, ac continent partium ſibi inuicem cohęrẽtium ſubſtantiam, atque minus, magíſque hoc pro adſtrictionis quantitate efficiunt. Cæterùm ſtringẽdo, ac denſando ſumma corporis, quod adſtringitur, virtus illorum excluditur, & in altum ire prohibetur: ob quam rationem pulchrè nonnulli medicorum huiuſmodi pharmacis

7. meth. cap. 7

4. de ſim. med fac. cap. 7

7. metho. cap. 7

4. de cõp. medic. per gen. cap. 5

macis

macis alia tenuium partium, & acri po
testate prædita indere cogitarũt, à qui-
bus veluti ductæ adstringentium vires
in profundum corpus perueniant. Ad 7.de sim.
hæc acerba contrahunt, densant, ac pa- medi. fac.
riter constringunt: repellunt autẽ tum c. de cap-
austera tum acerba, quæ communem pare.
adstringẽtium appellationem habent. 3. de cõp.
Quin etiam acerba stomacho grata med. sec.
sunt, quemadmodum amara omnino loc. cap. 3.
ingrata. At meminisse quoque opor- 6. de sim.
tet, quòd cùm fructus initio acerbi med. fa. c.
sint, temporéque maturescentes dulce- de Ab-
scant, sequitur ex calore illis prouenire rotono.
dulcedinem, acerbitatem verò consti 4. de sim.
tisse ex frigore. Itaque si acerba aqua med. fac.
incoquantur, relicta in aqua acerbita- cap. 7
te dulcescunt.

De acri sapore. CAP. III. 3. de alim. fac. ca. 32

ACre saporum genus, cùm appella 4. de sim.
tione propria careat, communi med. fac.
per excellentiam vsum videtur. nam cap. 19
cùm sapor amarus, & acidus ambo e-
tiam acres sint, in quocunque tamẽ cor
pore vehementem cõperimus acrimo-
niam: tametsi neque amarum sit, neque
acidum, acre appellare consueuimus:
quanquam multa in specie sint cor-
pora eiusmodi: alia enim edi possunt,

alia

alia esui sunt inepta. Ea igitur quę esui idonea sunt, dulcem quandam saltem obscuram admistam habeant qualitatem necesse est, proinde multis ipsorum pro obsonio vtimur, multis verò vt condimentum tantùm: at vt cibo ipsorum omnino nullo, idq́ue ob virium vehementiam. Porrò eorũ quæ non eduntur, alia mortifera sunt, alia simpliciter medicamẽta: omnia saltem cuti nostræ imposita, vlcus celeriter inducunt. quinetiam horum quoque non nulla qualitatem quandam amaram præseferunt, quemadmodum escu lentorum quædam dulcem, non tamen vocantur amara. quandoquidem in eis leuis est, & infirma, valida autem vis acrimoniæ. Sunt & quę ne gustare quidem audeas: eiusmodi est thapsia, & cantharides, & ea quæ erosione, & putrefactione interimunt. Sed eorum gustum ex eis coniicere licet, quæ in tosto agunt corpore. Porrò acres sapores, exactè ipsos calidos dicimus, deinde, exedentes, vrentes, crustam molientes, ac denique etiam colliquantes, sin intra corpus sumantur: siquidem in tota substantia animanti cuipiã summè aduersentur, putrefacientes, eiúsq;
generis

generis animãtium deleterios, ſin caloris duntaxat immoderatione, ſi craſſę ſint eſſentiæ terreæq; interiora vlcerandi pollere facultate, ſin tenuis vrinã ciendi, prouocãdíque ſudoris vim habere: in ſumma autem incidendi & digerendi per halitũ, ex quo genere quidam expuitionibus ex thorace, tum menſium motibus auxiliantur. Præterea acria omnia eſſe palam eſt, quæ ſuccos craſſos tenuare queant, & ſenſus noſtros pungunt, ac mordicant, quæ etiam ſi largius æquo ſumpta fuerint, ventriculum mordicant, ciborumque nauſeam magnam inducunt, & halitus acres emittunt, non modò dum manduntur, ſed etiam poſtquàm è corpore fuerint egeſta. Plurima autem eorum vrinas & ſudores graueolẽtes & acres, promouent, phymatibus præterea ac furunculis ſunt accommoda: quædam autem ex ipſis cutim diuellunt, atque facile erodunt, alia verò pertundunt, alia ipſius partem aliquam in pus vertunt, vlceraque magna, & quas vocãt eſcaras efficiunt. Hæc omnia ſatis probant, ea acrem quandam, & incidẽtem habere facultatem. Cui rei euidentiſſimo etiam ſunt argumento humores in

Lib. de att. vic. rat. cap. 1.

corpore noſtro ab eis extenuati: quin etiam experientia ipſa rationem confirmat. Videmus enim corpora omnia, in quibus humores frigidi, craſſi, ac lenti abundant, huiuſmodi ciborum vſu, maiorem in modum alleuiari. Vt in aliis, ita in his quoque oportet medicũ tempori, ac menſuræ vſus diligenter eſſe attentum: periculum enim eſt, ſi quis non rectè his vtatur, ne tandem prauo ſucco impleatur. Ad hæc acria vtilia ſunt, ad detergendum, abſtergendum, detrahendum, extenuandum, digerendum valentérque ſiccandum, & colliquandum. Eadẽ cuti impoſita perſpicuè eam calefaciunt, atq; in molem attollunt, iubente calore, ac ſi diutius immorentur, etiam vlcerant, è quibus euidenter apparet, ea tum incidere, tum excalfacere, tum etiam à vicinis partibus ad ſe ſanguinem trahere; Quo fit vt quæ talia ſunt (vt calamintha) ad venenatarum beſtiarum morſus aſſumantur, velut etiam cauteria, & quæcunque medicamenta calida ſunt, & acria, tenuiumq́ue partium, quæq́ue facilè ex alto ad ſe circumiacentem omnem humiditatem poſſunt attrahere. Præter id ſcire etiam oportet, quòd acria,

9. de ſim. m. fa. c. de pyrite lapide. ibid. c. 1.

acria, ſimul & acida agere poſſunt, quã- *5. de ſ.m.*
tum ad extenuationem, præpurgatio- *f.c.26.*
nemq́ue attinet. Cæterum in hoc diffe-
runt, quòd acidum refrigeret, acre ve-
rò excalfaciat, quin etiam quòd illud
repercutiat, hoc attrahat & digerat.
Porrò ſuccus frigidus, non acida, ſed
acria poſtulat. Quanquam enim cùm *2. de ali-*
acida tum acria ſuccos craſſos incidũt, *men. f. ca.*
in eo tamen differunt, quòd hæc cum *21.*
calefactione, illa cum refrigeratione id
præſtent. Eſt etiam acriũ, & amarorum *5. de med.*
diſcrimen, quãuis amara acredine non *per gen.*
vacent. ſiquidem acria irritare, morde- *c.2.*
re, calefacere, & fluorem in affectis par
tibus concitare, amara verò exiccare
citra morſus, & calefacere queunt. Po- *9. de ſ.m.*
ſtremò cùm nullum reperire corpus *f.c. de ter*
queas, miſtionis adunguem expers, in- *ra ſamia.*
ſpicienda item eſt eorum, quæ illi acci-
dunt comeſtio, idq́ue ſecundum leuita-
tis ac grauitatis differentias, eaſq́ue
quæ guſtu viſuntur. nam ſi qua eluceat
adſtrictio, tantum aſſumpſit frigidita-
tis, quantum aſſumpſit adſtrictionis. ſin
etiam acrimonia quædam apparet, tan
tum ineſſe ſcito caliditatis, quantum
& acrimoniæ.

De acido sapore. CAP. IIII.

4.de s.m. fa.c.15.

ACiditas in saporibus nasci potissimum videtur, dum à calido quidem mutatur, vt tamen non superet. Id quod ex acidis ructibus vel maximè coniicias. Nam hi haudquaquam vbi nulla prorsum facta in ventre ciborum alteratio, prouenire solent, quemadmodum nec vbi optimè concocti, sed tantum vbi semicocti (vt ita dixerim) fuerint. Voco autem semicoctos, qui à ventriculi calore alterationem perpessi non etiam perfectè ab eo superati fuerint. Sic lac, ptisanæ succus, & quæcunq; eius sunt generis tempore æstiuo citius acescunt, quàm hyeme, postulantque ædes frigidas, vt in iis reposita plusculo tempore perdurent. Ex quibus omnibus patet, quòd à calore mutante quidem, non tamen prorsum vincente, aciditatis generetur qualitas, atque ob id plerisque inest fructibus, priusquàm maturuerint. Etenim si simile quid illis vsu venit, quod Borealibus constitutionibus accidit, vt tenuis scilicet essentiæ sint, simulque frigidi, nasci eos haud sine calore satis constat, sicut nec illum ipsum aerem. Proinde quoque, quæ summè nos refrigerant;

frigerant; ac interimunt, veluti cicuta, opium, hyoſcyamus, mandragora, minimè omnium acida ſunt. Quippe licet frigidi ſint ſapores acidi omnes, haud tamen eò vſque refrigerant, vt interficiant. Non enim ſubtilis forent eſſentiæ, ſi extremè eſſent frigidi. Itaq; non modo iam quòd frigidus ſit ſapor acidus, ſed & quatenus iam apparuit: Exploranda porro eius natura eſt in oxylapatho & oxalide: Eſt autem hæc olus ſylueſtre. In iſtis enim maximè mihi ſyncerus eſt viſus ac ſimplex, nulliuſque particeps acerbitatis, vt ſolent arborum fructus: perſpicuo enim hi cum acerbitate quadam admiſtam habent aciditatem, ſicut cum acrimonia acetum. Itaque quod proprium in ſaporibus appellatur acidum, à ſola lingua percipi poteſt, ſicut & acre. Cæterùm quod vtrique commune eſt, nempe mordacitas, etiam à tactu ſentitur: vtraque verò lingua agnoſcere nata eſt. Nam quæ communia ſunt, ſicut & reliqua corpora ſenſilia, quæ tanquam guſtus organum percipit. Idque mihi videtur eximium ac particulare eſſe iuxta totarum ſubſtantiarum tum proprietatem, tum (vt ita dicam) alienita-

4. de s.m. f.ca.3. tem. Porrò acidum quicquid id fuerit, planè frigidum eſt, ſiue pirum, ſiue ma-
4. de s.m. f.ca.17 lum, ſiue acinus vuæ, ſiue rubi, ſiue ipſius mori, ſiue mala punica, ſiue quis alius tum fructus, tum ſuccus, tum plãta, vt oxylapathum, & oxalis. Quippe ſi guſtanti vehemens, atque manifeſta illi ineſſe aciditas apparet, nec quicquam præ ſe ferat acrimoniæ, omnino hunc ſuccum refrigerantem reperies: quin confidẽter vtitor, ſiue ad ardores vti conſiliũ eſt hypochõdriis impoſito, ſiue ad eryſipelas, ſiue ad alium affectum calidũ. Similiter quoq; frigidos affectus ab eo omnes palam lædi comperies. Porrò vbi miſta tibi qualitas apparet cum acrimonia, cõiiciendum eſt caliditatem quoque ineſſe, ſin iuncta ſit adſtrictio, aliud eſt frigiditatis genus: nã acida frigiditas tenuium partium eſt, ſin iũcta ſit adſtrictio, craſſarum. Sed velox ſi quidem acidorum ſaporum tranſitus inſentientibus partibus fieri conſpicitur, acerborum au-
5. de s.m. fa.cap.26 tem tardius. Tum acida quidem in alto magis agere apparẽt, in ſuperficie autem acerba. Præterea acida incidere, extenuare, diuidere, farctuq́ue liberare (διακαθαίρειν Græci vocant) citra excal

fact

factionē, nata ſunt. Atqui perſpicuum eſt, quòd adſtringentia quidem, quantum in ipſis eſt, alui deiectionem ſemper cohibent, acida verò cùm ſuccum craſſum in ventre inuenerint, ipſum incidunt, ac deorſum ſubducunt, ob idq́ue deiectiones humectant: quòd ſi ventrem purum inuenerint, ipſum magis ſiſtunt. Cæterùm acida vniuerſa, tum ea, quæ ſimpliciter acida ſunt, velut oxalida, tum miſtis quoque aliis facultatibus quædam ſiue dulcibus, ſiue amaris, ſiue acribus nihilo ſecius refrigerantia ſunt, qualia ſunt mala punica, mala, pruna, vuæ, mora, ficus, ceraſia, ipſumq́ue adeo acetum, ſed huic permiſta eſt quædam acrimonia. Meminiſſe quoq; oportet, quòd quæ ſummè acida ſunt, perinde ac acerba, & amara, aut ſimpliciter aliam quamuis qualitatem, præter dulcē ſortita ſunt, ea omnia nutrire nequeunt, at ſi iunctam habeant dulcedinem, hæc omnia nutriunt, cæterùm per ſe dictorū nullum, vt nutriat ſatis eſt. *4. de ſ. m. f. c. 7.*

Appendix de aceto.

QVoniam acidi ſaporis mentio acetum mihi in mentem redegit,

fit nunc vt nõ ab re putauerim, aliquid hic de eo disserere, & præsertim cùm non desint, qui aceti acrimoniam mordacitatémque percipientes, sibi certò persuadeant, acetum potenter excalfacere, quãquam re vera refrigerat. Qui autem idem sentirent nõ deerant etiã Galeni tempore, medici. Quo factum est vt is lib. 1. cap. 23. de simp. medic. facult. eorum sententiam improbauerit his verbis, Haud concedendum quibusdam arbitror, qui acetum ex tenuitate sua & mordacitate, calidum esse colligunt. Nec enim quicquid tenue fuerit, id & calidũ est, fortè verò nec quicquid mordax fuerit & tenue. Verùm in præsens id illis detur, tametsi adferre liceret niuem, Boream, aquam frigidam, non oculis duntaxat, sed etiã vlceribus, & raris corporibus omnibus mordaces, vt Hippocrates inquit, vlceribus frigidum mordax. Verum etiam si quis & illud, vt dixi, concedat, quicquid mordax fuerit esse tenue, nõ statim & calidum concesserit. Itaque nec acetum proinde, quòd mordax sit, calidum fuerit, sed tenue, vti aër borealis, non tamen calidum. Præterea frigidam omnino qualitatem calidam longe sup

ge ſuperare in aceto teſtatur idem Galenus lib. 8. de ſimp. med. fac. ſic inquiẽs, Acetum primò horum commentariorum miſtæ eſſe ſubſtantiæ, nempe frigidæ, pariter & calidę, eiúſque vtriuſque tenuium partium, demonſtratum eſt, cæterùm calidam frigida exuperat. Porrò magnam deſiccandi facultatem obtinet, adeo, vt ſit tertij ordinis deſiccantium iam completi, vtique cùm calidum extiterit. Item eodem lib. cap. 11. & 12. Apparet enim (inquit) à vino homini ſemper ſitim increſcere, ab aceto vero epoto interim quidem augeri, interim verò ſedari. Quippe quòd ſitis ipſa duplici ratione prouenire ſoleat, partim humoris inopia, partim caloris copia, quamobrem mirum videri non debet ſi priorem quidẽ ſanare nequeat alteram poſſit. Si quidem humectare nequit, at refrigerare non inſtrenue. Et eodem quoq; lib. cap. 21. Sed eorum (inquit) omnium acetum eſt efficaciſſimum quæ aut acrimoniam hebetant aut calorem refrigerare creduntur. Id quod etiam aliis in locis affirmauit. Cæterum non deſunt quoque, qui acetum adſtringenti vi præditum eſſe negant, inter quos reperio Ioannem Far-

nelium, virum quidem ætatis nostræ clarissimum, medicúmque insignem; quippe qui vniuersam medicinam diuina sane oratione descripsit. Etenim is lib.4.c.3.methodi medēdi de saporibus scribens, sic de aceto disseruit, Acetum sic experimur fluxiones repellere, & omnem sanguinis è naribus eruptionem, atq; dysenteriam, tum vapore suscitato, tum etiā fotu cohibere, ipsásq; hęmorrhoidas, & immodicas vteri purgationes suffitu insessúque sistere, omnémque sanguinis reiectionem, potum vel per se, vel admista aqua, promptissimè cohibere, neq; idcirco est inter adstringentia numerandum. Longè enim ab his materia distat, sed vnius frigoris alte subeuntis beneficio, fluxiones repellit, siccitate verò, quæ planè valida est, eas atque sanguinis eruptiones sistit ac cohibet. hæc ille. Quibus manifestè refragatur Galenus, quippe qui acetum adstringenti vi esse præditum; pluribus in locis testatur. Siquidem lib.1. de alimentorum facultatibus in ipsa primum præfatione sic habet, Sin minus vis aluum subducere, lētem excorticatam bis decoquito in aqua, videlicet priore effusa, dein salis aut gari
portiunc

portiuncula addita, aliquid eorum quę aluum modicè ſiſtunt, iniicito, puta acetum, ea menſura, vt guſtum non offendat. Quin etiam idem quoque affirmat lib. 1. cap. 20. de ſimp. med. facult. Vbi acetum (inquit) haud perinde, vt cruſtam facientia medicamenta, ſed potius, vt adſtringentia, citra cruſtam ſanguinis fluores cohibet. Id quod itē faſſus eſt apertiſſimè libro ſexto, cap. primo de comp. med. ſec. locos, vbi ſtomatica pharmaca citra ſuccos compoſita ex aceto & gallis ex Andromacho deſcribit. Inquit enim, conſpicuum vero eſt generoſum eſſe hoc pharmacum ex contrariis compoſitum. Gallæ enim Acetum, & Rhus, magis adſtringentia ſunt, & maximè repellunt. Quibus palam eſt clariſſimum virum Farnelium à Galeni ſententia non parum aberrare, quin etiam ab ipſius Dioſcoridis intentione. Si quidem is libro quinto de medica materia, acetum tum refrigerare, tum adſtringere ſcribit. Id quod certiſſimum eſſe deprehenditur ex aceto ipſo per alembicum diſtillato, quandoquidem vbi primum aquoſa aceti pars quæ ex aceto prius deſtillare ſolet, ex vino verò poſterius,

ſi quod remanſerit in vaſe quod in for nace reſidet, guſtaueris, manifeſtã adſtrictionem perceperis, ipſámque non modicam. Quo fit vt à Galeni & Dioſcorid. ſentẽtia haud tantillum quidem mihi diſcedendum fuerit.

De ſalſo ſapore. CAP. V.

SAlſus ſapor in mediocri materia cõſiſtit, cũ calore & ſiccitate. Aqueæ enim materiæ (quæ non exquiſite ſimplex eſt) partes quaſdam terrenas permiſtas, calor externus tandẽ prçaſſans, & vrens, atque ſiccans, ſalſum ſaporem inducit, fitque à terreno ſicco, quod in aqueo humido caloris vi præaſſatum attenuatúmque eſt. Neque igitur prorſum terrenus, neque aqueus, ſed ex amborum permiſtione, quandam materiæ mediocritatem ſortitur. Neque ſi ex calore proceſſit, hic tutus manet, ſed permiſtione obtunditur, ſiccitas verò maior conquiritur ac perſiſtit. Propinquus præterea eſt ſalſus ſapor amaro, quippe terreni ambo ſunt, & calidi, nõ obſcura tamen diuerſitate diſſident. quòd videlicet amarus à calore arido plus ſit extenuatus, & elaboratus. Nam ſi quid ſalſum excalfeceris, plurimùm amar

4. de ſ. me. f. c. 20. 21.

amarius tibi facile euadet, vt mari Syriæ Palęstinæ, quod mortuum vocant, à solis ardore æstate magis, quàm hyeme compertum est euenire. Salsa præter id, etsi calida sint, non tamen ita velociter, vt acuta penetrant, cum calida non ignea, vt acuta sint, neq; adeo crassa sunt, vt nisi longa mora penetrare queant, quemadmodum acerba, & austera calida quidē & terrestria sunt, sed minus quàm amara. Quin etiam acribus magis siccant, quanquam illis non similiter, sed minus calefaciūt, Incidunt etiam quæ saporem quendam habent nitrosum aut salsum, quorum etiam plurima aluum deiiciūt. Itaque cum concularum maris, cæterorúmque ferè ostreorum succus salsus existat, ventrem soluendi vim obtinet, In summa quæ salso sapore sunt, incidunt, tergunt, tenuant, liquánt, à putredine vindicant, conturbant, ventriculum subuertunt, & ad vomitum impellunt, siccant, sitim excitant, exasperant, aperiunt, & abradendo expurgant, & hæc omnia imbecilliter ac tardè efficiunt. Ac ob hæc suámque mollicam substantiam omnia imbecilliter tardè soluentia roborant.

Lib. de ocul. c. 2. part. 5.

Libro de vic. ra. in mor. acut. comment. 4. de att. vic. rat. c. 3. 3. de simplic. m. f. c 15.

Mesue.

De

De dulci sapore. CAP. VI.

Lib. de vic.rat.in mor.acut. com.3.

DVlcis sapor suauis cum sit, ac periucundus, maximè gustantes oblectat, nullàq; qualitatis exuperãtia molestus est, verùm vbi iecur malè afficitur, vsui haud quaquam conuenit. Lienipræterea si phlegmone obsideatur, pariter molestus est, atque multò magis ventriculo, & intestinis. Nam cito ignescés, ob phlegmones caliditatem, facillimè in bilem conuertitur: Melle quidem delectantur tum viscera, tum venter. Melli quoque & dulcia alia idem habere quis dixerit, atque ideo, vt ad ventrem ita ad viscera accommodari. venter autem his oblectari videtur, nempe vbi ea deglutiuit, manifestè quodammodo ab assumptis delectatur, veluti è contrario ab asperantibus, amarísque offenditur, neque solùm cum assumuntur, verum quoque & vbi assumpta sunt ad aliquod vsque tempus, quo fit, vt nemo ea nisi interdum vice medicamenti, vt ob collectos præter naturam in ventre humores, ingerat. Vbi enim secundum naturam habuerit, iniucunda ipsa talia omnia sunt: iucunda autem sola, quæ dulcia existunt. Sanè in appellato guttu

maxi

maxima ex deuoratis dulcibus exoritur voluptas, corpore ſcilicet loci illius peculiare quidpiam cum ſucco huiuſmodi habente. Corpus hoc facit ventriculi interna tunica, vt & ea quæ linguam ambit, verùm in lingua euidentiſſimam habet dulcedinis ſenſionem, in gutture autẽ voluptatis. Senſio verò manifeſta continuò efficitur & in ventris ore, quod dulcibus aſſumptis delectatur, modo animans ſecundum naturam habuerit. Viſcera igitur hoc pacto dulci gaudere ſucco, plurimúmq; ipſius celeriter euocantia, cùm valent, frui, alíque, cùm verò febriunt, aut phlegmone obſidentur, in id quod bilioſum eſt dulcem ſuccum conuerti par eſt. Calidum præterea dulce omne eſt, nec immodicè calorem noſtrũ exuperat, imò ſicut aqua calida, cuius contactus voluptati eſt, maximè vbi frixerimus, hactenus videlicet non excalfaciens, dum concretas frigore in nobis particulas fundat, non tamen ſoluat, aut ſecet, diſtrahátue continuum, ea inquam vt ſumma afficit voluptate, ac vtiliſſima eſt, ſic omne edulium dulce calidum ſanè omnino eſt, ſed non tamen calore excedit, vt is lædat, ac

4. de ſim. me. f. c. 9.

9. de ſ.m. moleſtus ſit, ſed inter limites ſeſe con-
f.c.de ga- tinet fundentis, læuigantis, ac mollien-
lactite la- tis. Itaque à tẽperato calore quamuis
pide.1. de dulcedinem euenire minimè verẽdum
ſ.m. fa.c. eſt: tametſi, quò magis dulce fuerit, eo
37. valentius excalfaciat. Meminiſſe etiam oportet, vt quæ velut inungunt, atque implent, ac in ſtatum ſuum reſtituunt exaſperatas partes, ac veluti eroſas linguæ particulas, hæc ſi cum voluptate manifeſta contingant dulcia, ſin ſint, pinguia vocitantur. Porrò & illud quidem non ignorandum quòd ſuccus dulcis, cùm ſine acrimonia, & craſſitie, hoc eſt, cùm ſolus planè fuerit, celerius quantum in ipſo eſt diſtribuitur. quòd ſi acrimoniam, & craſſitiem habuerit, citius ſubducitur. Poſtremò quæ dulcia ſunt excalfaciunt moderatè, maturant, laxant, rarefaciunt, abſtergunt & digerunt.

De pingui ſapore. CAP. VII.

Pinguis ſapor à Theophraſto additus, nec calore nec acrimonia guſtum ſollicitat, ſed linguã oríſque partes lentore quodam oblinit. Is præcipuè animaduertitur in oleo, tum ſimplici, tum amygdalino dulci, tum quoque in eo quod è pineis nucibus exprimitur

mitur: quin etiam in adipe, medulla, & in recenti butyro, quæ vetuſtate ranco rem non contraxerunt. Pingui quoque ſapore eſt Altheæ radix, ac pſyllij aut maluæ, aut Cydoniorum ſeminum mu cago, nam in aliis pleriſque tum adipibus tum oleis, vt in Ricino, Amygdala rum amararum, & vnguentariæ Glandis, ſub pingui ſapore alij quoque ſapo rer exiſtunt. At verò vt non vnus, ſimpléxque eſt eorum ſapor; ita nec facultas, nec materia ſimplex eſt vna. Naſcitur pinguis ſapor ex tenui non quidem ignea, ſed planè aërea materia, quæ calore, & frigore quodãmodo temperata ſit, atque ea licet tenuis, ſicca tamen non eſt; alioqui pingue perinde ac acidum & acre penetraret, & incideret. At certe humoris eiúſque aërei particeps magis eſt, ac proinde præcipua vis eius atq; facultas eſt relaxare, emollire, & humectare.

De inſipido ſapore. CAP. VIII.

INſipidus proprie ſapor nõ eſt, quòd qualitate nulla guſtũ feriat. Huiuſmodi eſſe videtur cucurbita, cucumis. quibus & alia plurima finitima ſunt. horum ſanè materia, quanquam craſſa quodammodo eſt, non ob id tamen *2. de alimen. fac.*

terrena ſiccans adſtringens fuerit, ſed humore quodam etiam perfuſa, qui tamen nõ exquiſite ſicco permiſcetur vi caloris, & cùm neq; ipſius frigoris vis ſuperet, accidit neceſſariò, vt nullus guſtu ſapor, nulla effectu qualitas, aut facultas percipiatur. At nihilominus hæc corum materia quoniam vere emplaſtica eſt, meatus omnes, & intus, & foris infarcit, & obſtruit, exaſperata lenit, & ſoluta agglutinat. Quanquam autem ſapor hic dulci affinis eſt, diſtat tamen, quòd in paulo craſſiore, atque crudiore ſit materia, & à temperie aliquantum in extremum frigidius deuergat: dulcis verò ſapor in calidius. Moderato enim, ac miti calore bene concoquente, plurima dulceſcunt, vt fructus. Atq; etiam in dulci non nihil ineſſe caloris argumẽto eſt, quòd dulcia non pauca, vt mel, vetuſtate aut coctura amareſcunt. Hi ſunt igitur ſapores ſimplices omnes atque ſynceri: in quibus dignoſcendis ſeorſum nos exercitari oportet. Ex ſapore autem, quæ medicamenti temperatura, & quæ materia ſit, cognoſcitur. Ex his demum quibus id tum primis, tum ſecũdis qualitatibus ac viribus ſit præditum.

De saporibus compositis. CAP. IX.

QVibus vero simplicibus medicamentis varij inesse sapores deprehenduntur, vt (exempli causa) in absinthio, quod præter amarorem qui primus est obuius, adstrictionem quoque habere percipitur, diuersæ quoque substantiæ, atque facultates, vt adstringendi & detergendi, seu corroborandi insunt: E contrario quoque si cui medicamento, vt Cichorio facultates inerunt variæ, vt detergendi, & refrigerãndi, ex variis id quoque & fere contrariis substantiis, à saporibus constabit. Itaque à sapore siue simplex is est, siue multiplex, de materia déque facultate medicamenti iudicari potest. Id autem facile aut certò fiet, si simplex aut exquisitus sapor erit. At rarò admodum purus syncerúsque, & solitarius inuenitur. In quibus igitur sapor non certo poterit medicamenti vim, atque facultatem exprimere, experientia succurrit ac supplet; atq; etiam si gustu, aut ratione videberis facultatem assequutus, ea tamen experimento identidem confirmat. Multa enim plerunque solitaria meditatio, & probabilis ratio suadet; quæ vsus, & expe-

rientia coarguit. At ne te fallax experientia decipiat, etiam atque etiam caue ne effectum, qui per accidens à medicamento processit, primum, & per se editum esse iudices. Quamobrem simplex quodque medicamentum sæpius quisq; contẽpletur admoneo, quò memoria teneat, quantum, quodque dulcedinis, aut acrimonię, aut alicuius sensibilis qualitatis habere possit. Neque enim qualitatum gradus verbis vllis explicari queunt. Accedit præterea, & aliud quoddam iudicij genus, quo vis vniuscuiusque medicamenti perpenditur, longa experiẽtia cõparatum, quod quidem ratione declarari non potest.

1. de Antid.cap.2.

Simplex medicamentum quo pacto intelligitur. CAP. X.

1. de s.m. f.c.1.

SImplex medicamentũ, & ipsum per oppositionem ad cõpositum nuncupatum est. Est autem id quod secũdum naturam suã syncerum est. At facultas causa quædam est effectix, quæ quidẽ prouenit partim à primis qualitatibus partim ab ipsis essentię tenuitate crassitiéve, partim ab vtriusque. Eáque partim actu, siue energia est, partim in futuro tẽpore. Actu quidem, vt calfaciendi in igne, refrigerandi in glacie. In futuro

turo autem; vt calfaciendi in pyrethro, pipere, & ſimilibus. Refrigerandi in al terco, mandragora, & papaueris liquore, & id genus cæteris. Eſt autem perſpicuum & illud, nempe omnia propemodum medicamenta, licet ſenſu ſimplicia appareant, cõſtat tamen natura eſſe compoſita: quin etiam ſubinde quoq; non nullas diuerſiſſimas in ſe continere facultates: nempe excernendi & ſiſtendi, incraſſandi, & extenuandi, rare faciendi, & condenſandi, illinendi atq; abſtergendi, tendendi & laxandi, cæteráſque oppoſitiones vniuerſas. At mirum id videri minime debet in id genus facultatibus cùm vni & eidem medicamento vim calfaciendi & refrigerandi ineſſe appareat, aut exiccandi & humectandi, aut tenuium partium, & craſſarum. quippe niſi primæ, efficaciſſimæque virtutes hoc pacto complicarẽtur, haud ſanè quæ ex illis ſequuntur ſimiliter cõplicatæ forent. Igitur quẽadmodum in medicamentis cõpoſitis mirum non eſt, ſi contrarij ſimul affectus corporibus infligantur, ita neque in ſimplicibus, cùm & ipſa ſenſu quidẽ omni, atque cognitione ſimplicia appareant, natura vero ſint compoſita.

3. de ſ.m. f.c.14.

3. de ſ. m. f.c.16.

Quinetiam quemadmodum in iis, quę nos cõponimus aut commiſcemus, interim, ſi ita viſum eſt, plus adſtringentis ſucci indimus, aut plus dulcis, aut amari, aut ſalſi, aut acris, aut alterius cuiuſpiam cõtrariorum, nonnunquam vero vtroſq; partibus paribus, aut portionibus, aut viribus, alienum non eſt.
5. de ſ. m. f. c. 31. Itaque ex his coniici licet pleraq; ſimplicium medicamentorum diſſimilariũ eſſe partium, réque vera compoſita. Cæterum appellari ſimplicia, quòd cuiuſmodi ſunt talia natura ſint, nec quicquam ex noſtra induſtria aſſumpſerint, quin & quod quædã craſſarum ſint partium & terrena ſuis ſubſtantiis, quædam tenuia & aërea, & dictorum
1. de ſ. m. f. c. 1 media. Atqui meminiſſe quoque oportet medicamentum omne id appellari quod naturã noſtram alterare, aut mutare poteſt, & nutrimento planè cõtrarium eſt, nec aliter inter ſe differũt me
Medicamẽta quæ tota ſubſtãtia operantur. dicamenta, quàm ſola alterationis varietate, quippe quædã vna, vel duabus qualitatibus naturam noſtram alterãt, quædã tota ſubſtantia. Eorũ vero, quæ vna vel duabus qualitatibus nos mutant, bifariam diuidunt. Eſt enim vna medicamentorum ſpecies, eorum nimirum,

mirum, quæ corpus excalfaciunt, aut refrigerant, aut ſiccãt, aut humectant, mali tamen nihil afferunt. Altera corũ ſpecies eſt, quæ & agunt & patiuntur aliquid, ſed temporis ſpatio vincuntur planéque aſſimilantur, adeo vt tam nutrimenta, quàm medicamenta exiſtant. Sunt & alia quæ tota ſubſtãtia nos alterant. Horum veluti illorum duplex eſt natura. Quippe quoniam prior eorum ſpecies eſt, quæ nulla ſubſtantiæ ſuæ mutata parte, ſed tota integra ſeruata vincunt, corpúſq; ipſum afficiunt ac mutant ad eum modum, quo id cibos mutat: atque hæc prorſus grauia, & quæ animalis naturam corrumpere queunt. Ideóque Græcis deleteria, hoc eſt venenoſa, lethiferáque vocantur. Ex hoc genere habentur, quæ ſua exuperanti frigiditate perimunt, vt cicuta hyoſcyamus, mæconium, mãdragora, & id genus alia: atque hæc non toto ſanè genere humanæ naturæ mortifera pronuntiantur, ſed vbi eorũ quantitas exuperabit; nanque horum quodque, ſi exigua quantitate deuoretur, nullam prorſus euidentem noxam nobis affert non ſecus ac ſi ingenti flammæ pauxillum aquæ inſtillaueris, neque vtique

2. aphoriſmorum, apho. 17.

3. de ſ.m. f.c.18 eò minus deleteria ſunt appellãda. Altera eorum medicamẽtorum, quæ nos tota ſubſtãtia alterant, ſpecies eſt, quæ vbi mutationis principium ab animalis calore acceperit, deinceps iam putreſcunt, & corrũpuntur; deinde ipſum corpus vnà corrumpunt, ac putrefaciunt. Eiuſmodi quidem ſunt, quæ erodendo putrefaciendóq; interimunt medicamenta, vt cantharides, arſenicum, chryſocolla, aconitum, & ſimilia. Sunt autem hæc deleteria, & pernicioſa toto quidem genere, non vt frigefacientia duntaxat quantitate. Putrefaciẽtia enim etiam ſi minima quantitate ſumantur: omnino tamẽ corrumpũt, niſi vnà cũ excrementis excernantur, prius quàm iniuria corpus afficiãt, aut cibis, aut aliis, quæ vires eorundem obtundant, miſta fuerint. Sunt & medicamenta ex hoc genere, quæ quanquam inter venena numerantur, non tamen interficiunt, niſi modum exceſſerint, ſiue fortè fortuna in corruptionem vertãtur. Cuiuſmodi ſunt medicamenta omnia, quæ humores attrahunt atque electiuè purgãt. nempe ſcamonium, Elleborus, Colocynthis, Elaterium, Vitis alba, Cyclaminus, Tithymalorũ omne genus,

nus, Thapsia, Turpetum, Pityusa Ricinus & alia nonnulla quę prædictis de causis pharmaca, antiquis sunt appellata. Atqui meminisse præstabit hęc non solum tota sua substantia, atque forma operari, sed etiam qualitatibus primis iuuantibus. Siquidē quāuis hoc bilem, illud pituitam atram, bilémve deiicere propria facultate valeant, cum tamen omnia sint calida, sui ipsorum caloris vi adiuta, hunc, vel illum humorem facilius trahunt. Sunt enim medicamenta purgantia detrahendis humoribus familiaria, verùm cum sint in attrahendo efficaciora, valentioráque, humores ipsos attrahunt, non autem attrahuntur ab illis. Id quod facile in lapide magnete spectari potest. quippe qui ad ferri naturam accedat, & in ferri fodinis reperiatur, eíque magnopere specie sit persimilis; verum fortior est quodāmodo, vt attrahere sit aptior, quàm attrahi. Quin etiam Cnicum quoque à pituitæ natura alienum esse haud diffidēdum est; vti in colore suo præsefert: sed tamen calore ipso pituita valētior est, vt trahere, quàm trahi magis par sit. Calida enim vt sint id genus omnia necesse est: Nam inter ea, quæ sibi sub-

3. de s.m. f.c.25

ſtantiis ſimilia ſunt, quod calidius eſt id potentius trahit, vtpote quod eſſentiæ ſimilitudine calorem adiunxerit. Cæterùm huiuſce generis medicamenta, vbi fortè purgatione fruſtrantur, extra quàm quòd corpori noxam afferunt, etiam alimentũ homini præbent, alia verò in corruptionem, ac tanquam in venenum vertuntur. Prorſum enim medicamentũ expurgans, vel cum vno ſaltem humorum, qui in corpore ſunt noſtro ſimilitudinem obtinet, non autem perpetuo permiſta eſt vis venenoſa, quamobrem, nec perpetuo, licet nõ purget iniuria afficiet, verùm coctionem accipiet, talémq; producet humorem qualem trahere natum erat. Adhęc autem numerantur in hoc genere alia nonnulla medicamẽta, quæ tametſi humores trahant eiiciántque; innocua tamen ſunt, niſi ſumentes modum exceſſerint. Nam quanuis quandoq; fiat, vt humorum nihil educant, nunquam tamen in corruptionem & veneni naturam trahuntur. Quo fit, vt à recentioribus Medicis hæc innocua appellentur. Ex huiuſmodi itaque genere ſunt Manna, Caſſia nigra, Myrobalanorum omne genus, & Tamar Indi,

3. de ſ. m. f. c. 23. lib. de Th. ad Piſ. ca. 4. lib. de his quos purgare conueniet.

Rhabarbarum, Agaricus, Roſa, viola purpurea, fumaria, Epithymum, Polypodium, Sena, Aloë, & id genus alia. Non deſunt quoque & alia ab his longe diuerſa, quæ etiam tota ſua ſubſtantia ſuas exercent vires, verum haud quaquam humores purgant. Sed variis admodum modis noſtris in corporibus agunt. Aliqua enim venenoſa cùm ſint, ſuum tamen venenum ſuperant, ac deſtruũt, alia corpori vniuerſo medentur, nonnulla vero, particulatim iuuant aut lædunt. Suis itaque ac propriis venenis ſuccurrunt, vipera, ſcorpius, Mus araneus, Draco marinus, quippe hęc omnia diſſecta, & ſuis morſibus adalligata, venenũ ad ſe trahunt, & demorſos ſanant. Cantharides peculiariter ſolam veſicam lædunt, lepus marinus ſolos pulmones inficit. Cicuta homines necat, ſturnos nutrit, veratrum homines in perniciem ducit, con turnicibus verò optimus eſt cibus. Amygdalæ amaræ pluribus modis nos iuuant, cæterum gallinas, & vulpes necant. Romanæ pæoniæ radix collo ſuſpenſa Epilepticos iuuat, caninum ſtercus anginis medetur, Lupinum verò colicos ſanat. Sicq́ue mergi venter ven

tric

triculum noſtrum roborat. Iaſpis lapis viridis, qui os ventriculi contigerit, ipſum pariter firmat. Lupinum Iecur Iocinoroſis medetur, terreni vermes auriginoſos ſanant. Sicque alia complura habentur, quæ hæc, & ſimilia tota ſua ſubſtantia operantur, quorum facultates, cùm à methodo, & ratione alienæ ſunt, per ſolam noſcuntur experientiam. Nam cur hic lapis tacto vulnere vnde ſanguis prorumpit curſum eius reprimat ac ſiſtat, curque ſcamonium bilem, Cnidium granum cutem ſubeuntes aquas deiiciat, nobis ſanè occultum eſt, & ſola experientia comparatur.

9. de ſ. m. f. c. de lapidibus. 15. Math. c. 6.

De primis, ſecundis, & tertis facultatibus. CAP. II.

MEdicamentorum qualitates, aliæ quidem primæ, aliæ ſecũdæ, aliæ denique tertiæ numerantur, atque eas quæ primæ dicuntur, caliditatem, frigiditatem, humiditatẽ, ſiccitatem nuncupant, & hæ quidẽ in elementis, nempe Igne, Aere, Aqua, Terra ſynceriſſimæ habentur. Itaq; certo pronunciandum, quatuor hæc omnia eſſe communia & prima elementa. Namque prima ſunt hæc in mundo ſimpliciſſima corpora,

Lib. 1. de element. c. 1

corpora, cætera verò, nempe plantæ & animalia ex iſtis componũtur. Quãobrem hinc omnis membratim medicamentorum in agẽdo prouenit diuerſitas quod hactenus eorũ vnũquodq; aut calidũ eſt, aut frigidũ, aut ſiccũ, aut humidum, aut tenuium partium, aut craſſarum. SECVNDAE autem à primis ortum ducunt. Cæterùm cum particulatim vnumquodq; non pari modo ex illis temperatum ſit, aliud puto ex illis laxatiuum euaſit, aliud emolliẽs, aliud indurans, aut rarefaciens, aut condenſans, tum ex operibus quæ edere nata ſunt, facultates in ſe habere dicta ſunt rarefaciendi, condenſandi, emolliendi, indurandi, illinendi, extergendi, attrahendi, repellendi, laxandi, contendẽdi, reſerandi, concludendi, incraſſandi, extenuandi, doloris ſedandi, ac ciendi, concoquendi, pus mouendi, digerendi per halitum, putrefaciendi, vrendi, erodendi, cruſtam faciendi, fundendi, denſandi, ſuccum prauum procreandi, attemperandi, purgandi, ſiſtendi, exaſperandi, leniendi, infarciendi, farctuq; liberandi. TERTIAE verò qualitates dicuntur, quibus medicamẽta licet primarum & ſecundarũ ope agant, in proprium

7. de ſ. m. f. c. 1

5. de ſ. m. f. c. 3.

prium tamen aliquod membrum, aut proprium humorem agunt, atque hæ particulares dicuntur qualitates: nempe vrinas ciendi, vomitus prouocandi, ventris ſubducendi, lubricandi, per nares, & os purgandi, menſes mouendi, aut comprimēdi, lactis, & ſeminis tum generandi, tum extinguendi, tum prouocandi, & reprimendi, magíſq; etiam cùm à capite cephalicas, ab oculis ophthalmicas, ab auribus oticas, à dentibus odonticas, à ventriculo ſtomachicas, à pulmone pneumaticas, à coſtis pleuriticas, à iocinore hepaticas, à liene ſplenicas, à renibus nephriticas, à coxa iſchiadicas, à pedibus podagricas, ab articulis arthriticas, à tuſſi bechicas, à calculis cōminuendis lithonthypticas vocant. Pari modo quædam dicta eſt ſarcotica facultas à procreanda in vlceribus carne, ab inducenda cicatrice epulotica, à glutinando collectica, à purgatione cathartica, ab excreſcentia carnis detrahenda cathæretica, & alia ſimilia, quæ omnes vix particulatim numerari poſſunt, ſi ab vno quoque ſingulatim eorum quæ perficiuntur deflexa illis imponere nomina aggrediamur.

Quid

Quid agant quæ ſubtilium ſunt partium, quæue craſſarum.

CAP. XII.

MEdicamenta tenuium partium, quin etiam craſſarũ alia calida, alia frigida. Quæ autẽ calida ſunt ſubtilium partium, nonnunquam omnino non mordicant, ſed duntaxat calfaciunt, quòd etſi quandoque mordent, non tamen vrunt, calida verò craſſarum partium mordent acrius ac vellicant, vrunt atque vlcerant. Cæterùm frigida, quæ tenuium ſunt partiũ, cum magis in profundum tranſeant, vehementius etiam ob id mordicant, ſed multo etiam magis, quæ cùm tenuium ſint partium, inæquabilem obtinent intemperiem. Quæ verò craſſioris ſunt eſſentiæ, omnino, nullum introducere humorem queunt. Cutis enim ſuperficiem non ſubeunt, proinde non mordent, neque vellicant. At tenuium partium aer eſt, craſſarum vero terra, medium eorum tenet aqua. Aer autem accenſus fit flamma, terra vero pruna, verùm aqua vehementem ſanè caliditatem accipit, ſed nec flamma, nec pruna propter innatam humiditatem efficitur. Si quidem flamma & pruna ignis

4. de ſ. m. f. c. 2.

4. de ſ. m. f. c. 3.

ſunt genera. Ignis autem omnis calidus eſt,& ſiccus,at aqua ſicca vt ſit fieri nequit, proinde nec ipſius ignis qualitatem exactè, ſicut aer, & terra accipit. Nullum eſt itaque æque calidum medicamentum vt aut eſt flamma,aut pruna,aut aqua feruens,imo vt ſit vel calidiſſimum,omnino tamen plurimum ab illis vincitur:procedit tamen ad vſtionem vſque medicamẽtorum caliditas, vbi videlicet in craſſa conſiſtit eſſentia. Cæterum ea tenuium partium eſſe dicimus,quæ celeriter in tenuia ſoluuntur. Id quod perpeti nequeunt craſſarum. Quòd ergo ea ſoluãtur,calor qui eſt in animantis corpore,cui vnũquodque applicari contingit, in cauſa eſt. Quòd autem in tenues craſſásve partes comminuantur, id à ſua ipſorum natura obtinent. Præterea medicamentum quod tenuis eſt materiæ,ſi pariter calidum eſt citra ordinem tertium, vt petroſilinum, & hyſſopus, ſumptum quidem corporis meatus exiguos aperit, & humores tenues diſſoluit, diſſipat, ſeu halitu digerit, hincq; ſudores, & vrinam mouet, craſſos verò incidit, attenuat, ſeu comminuit, foris autem impoſitum cutem rarefacit, & dilatat,

ex alto

ex alto quoq; corpore ſpiritus, humoreſq; trahit, atque reſoluit. At ſi etiam quarto eſt calidorum receſſu, ſepticum habetur, quòd nimirum aut vrit, vlcerat, aut veſicas excitat, aut colliquat. Quod vero tenuis eſt materiæ, ſi temperatum, aut etiam ſi pariter id frigidum exiſtit, vt acetum, intro ſumptum aperit quoque & attenuat, ſed ignauius, quàm calidũ aut foris inductum corpori, quatenus frigidum eſt fluxionem repellit, & eruptionis impetũ cohibet. Idq́ue validius, quàm quod frigidum adſtringenſq́ue eſt. altius enim frigoris vim deducit. Quod vero cum media materia frigidum quoque exiſtit, vt portulaca, modice fluxionẽ repellit, ac ſiſtit, ſiccat, & adſtringit. Cæterùm medicamentum mediocris materiæ, quod vna temperatum fuerit, vt oleũ ſimplex, relaxat, emollit ſcirrhos, concoquit, maturat atque pus mouet. At moderatè calidum, vt chamæmelum, quia dolorem lenit, anodynum appellatur. Quod paulò calidius ſed citra tertium eſt ordinem, vt abſinthiũ, ſumptum quidem aperit ora vaſorum glutinoſoſq́ue detergit humores, ac proinde venas, meatuſq; omnes expurgat, &

eorum obſtructiones expedit, quod tenuior materia, quia celerius & ſine detersione penetrat, non effecerit. Quod item tertium caloris receſſum ſuperat, vt colocynthis, ariſtolochia, non ſolum detergit, ſed etiam quia acrius, partes ipſas vehementer exaſperat, & exulcerat. Medicamentũ item, quod in craſſa, terrenáque materia temperiem quandam caloris frigoríſq; nactũ ſit, vt bolus Armenus, aut lemnia terra, interiores meatus obſtruit, cutémq; obturat, exaſperata lenit & ſoluta agglutinat, infarciens enim eſt aut emplaſticum, aut læuigãs aut etiã glutinoſum: Quod autem moderatè ſeu calidum, ſeu frigidum exiſtit, vt roſa, vt myrtus; laxiores partes contẽdit, atq; idcirco corroborat. At immoderatius velut ordine quarto calidum, vt calx, vt auripigmẽtum, exedit, eſtq́; ſepticum, cauſticum, vel eſcharoticum. Immoderatius verò frigidum, atque ſiccum, vt galla, & nux cupreſſi, ora vaſorũ ſumptum non modò obſtruit, verùm etiam conrrahit, & occludit, meatus omnes coarctat, ſeu coanguſtat, ipſos vero humores ſupra modum incraſſat. Foris impoſitum cutem denſat, & adſtringit, fluxionis impetum

petum cohibet, ac etiam repellit, & vulnus cicatrice obducit. Ita igitur facultates ſecundas ex medicamenti materia temperamẽto perfuſa prodire, quiuis intelligere poteſt: Porrò medicamentorum facultates iudicandæ ſunt ad noſtram naturam, hoc eſt ad hominis nõ extra hominem, ad aliud, quoduis collata, & vnumquodque medicamentum conſiderandum eſt non quale ex ſe ſit, & ad totam naturam, ſed quo pacto nos afficiat: Nam acetum & aqua marina, ſi ex ſe iudicentur, humida eſſe deprehendũtur: ad noſtram autẽ naturá collata, ſicca proculdubio iudicabũtur. *1. de ſ.m. f.ca.38.*

Noſcendum quantum vnumquodque medicamentum habeat caliditatis, frigiditatis, ſiccitatis, humiditatis per gradus vſque ad quartum.

CAP. XII.

Vires Medicamentorum, non ſolùm cuiuſque generatim noſcendę ſunt (vt quidam ſcripſerũt, dicentes eas calfacere vel refrigerare vel ſiccare vel humectare) verùm diſtinctè mẽbratímq; ex quo ſint ordine, primo videlicet, aut ſecũdo, aut tertio, aut quarto cognoſcere oportet. Nam non nulla quidem medicamẽta obſcurè prorſus vnumquodq; prædictorum efficiũt, *1. de me. ſec. gẽ. c. 2.*

quædam manifeſtò, aliqua validè, alia abſolutè. Nõ ſatis eſt ergo nouiſſe pharmacum hoc calefaciendi, aut refrigerandi virtutem habere, ſed quantam
5. de ſ. m. f. c. 5. habeat diffinire oportet. Siquidem tanto medicamen expedit eſſe calidius, quanto exuperauit frigiditas; tãtoque
1. de cõp. me. ſec. gen. c. 2. ſiccius, quanto, & vicit humiditas. Calefaciunt enim (exempli cauſa) reſinæ omnes, idque ſibi commune habẽt, attamen maioris, minoriſque rationem non exiguã in calore ſortitæ ſunt. Item ſucci plures non mediocriter ratione ad maius, minuſque facta, differentes, excalfaciunt. Nam panacis ſuccum cyreneo, & Medico, ſi conferas, videbitur tibi hic nihil ceu ad illos eſſe. At quorſum attinet ſermonem ipſorum diuerſum attinet ſermonem ipſorum diuertere longius, cùm eorũ differentia quibus in cibo vtimur, quotidie poſſimus meminiſſe. Anethum igitur, & ruta, cęnpaque omnia calefacientia, magno inter ſe variant diſcrimine, quapropter in curationibus quoque particulæ admodum refrigeratæ, medicamen, quod impensè calefaciat applicabimus. Illi verò quod paululum à naturali habitu receſſit, modico calore præditum: ſicut & inſigniter refrigeratæ vehementiſſimè

mè calefaciẽs adhibebitur. Meritò igitur quatuor nos excalfacientium ordines ſtatuimus, ſeparantes à modice calidis ea, quæ euidenti eiuſmodi qualitate præcellunt, tum quæ magna, tum quæ vehementi adeo, vt vrere videantur. In ſingulis autem illis quatuor ordinibus diuerſis, quædam eſſe velut incipientes differentiæ, non nulla deſinentis, & ei quæ poſthac exiſtit propinquæ; alia in medio conſtituta. Itaque ſunt ex iis, quæ propter caloris vim exulcerent, quemadmodum etiam ex illis, quæ ſeptica, ideſt exedentia, ſeu putrifica nominantur: Alia ſimulatque corpora contigerint, poteſtatem ſuam oſtendũt. quędam duabus, tribúſve, aut quatuor horis opus habent, non nulla diem totũ; vel etiam poſt eum noctem, vel maius dein ſpatium requirunt. Hæc iam, vt in calefacientibus, ita quoque in refrigerãtibus intelligere eum oportet, qui medicamen aliquod confecturus eſt. Pari modo, & in eis, quæ humectant ſiccantq́ue.

An rationi magis, quàm experimento adſtipulandum. CAP. XIIII.

MEdicamentorum omnium notitia duobus artis medicæ funda-

6. de san. tuen. c. 14 mentis consequitur, nempe ratione, & experimento. Atqui sine experimento
2. meth. c. 6. eorum vires haud rectè cognosci possunt: namque plerunque illud dictat ratio, cui non astipulatur experimentum.
De The. ad Pis. capite 3. Contra verò id experimentum sæpe ostendit, cui ratio non consentit. Hæc itaque sunt vtraque coniungēda quantum licet, & quæ ratione inuenta sunt, tum sensu tum experimento sunt probanda, atque eo quidem assentiente comprobanda. Contra item eorum, quæ experimento sunt inuenta, quærenda ratio est, quā si assequamur, tunc demum nullo interiecto scrupulo, extollendum medicamentum est; sin autem ratio subterfugiat, aut etiam reluctetur, suspectum sanè id redditur, at non semper negligendum; siquidem
1. metaph. cap. 1. Aristoteles expertos magis id, quod volunt consequi existimat, licet rationem ignorent, quàm eos, qui rationem quidem rei tenent, sed inexperti
3. de lo. affec. c. 2. sunt. Quin etiam Galenus Empiricos magis, quàm methodicos probat. Etsi enim qui soli nituntur rationi sapien-
1. Physic. tiores sunt, (vt idem sentit Aristoteles) in medicina tamen, quæ circa singularia versatur, errant magis, qui ra-

tionem abſque experientia quàm qui experientiam ſine ratione perſpectam habent. At verò experimẽti certitudo, non ſtatim ex vno ſucceſſu iudicanda eſt, ſed obſeruanda ſunt multa. Atque iis demum diligenter animaduerſis de experimento, quod certum ſit, & conſtans, ferri iudicium oportet.

De varia parandorum medicamentorum ratione. CAP. XV.

CVm ſimplicia medicamẽta, de quibus meminimus ad morbos pellẽdos variis ſub formis, & modis parari ſoleant, ſiue intus in corpus ſumantur ſiue extra admoueãtur, mihi quidẽ de his non abs re diſſerere viſum eſt, nẽpe de Elixatione, Maceratione, Deſtillatione, Liquatione, Diſſolutione, Aſſatione, Vſtione, Lotione, & Attritione. Siquidem præter id, quòd non deſint affecti, quibus hæc magis, quàm illa placeant parandi ratio, ſunt quoque aliæ, quæ ad affectos locos, nonnullæ verò ad ipſos morbos commodiores habentur. Cæterùm de elixatione in primis mihi dicendum propoſui, quòd hæc frequentius in medicamentorum vſum vſurpetur, quàm quæ aliis parantur modis.

De elixatione. CAP. XVI.

PLurimum ſanè refert verã elixandorum ſimplicium non ignorare rationem: Nanque vbi quiſpiã id ignorauerit, haud vnquam poterit rectè integras medicamentorum vires in ſuo ipſorum decocto aſſeruare. Si quis enim, lignum, cortices, radices, ſeménue breui tempore coxerit, quòd in ſolida materia horum vis conſiſtat nullo ſanè pacto hęc ſuas facultates integras in ipſo, quo decoquũtur iure deponẽt: contra verò vires, quæ tenui, ac diſſipabili ſubſtantia conſiſtunt, vt longa coctura euaneſcunt, ita breui perbelle conſeruantur. Itaque eorũ, quæ coquũtur materia diligenter examinãda eſt, craſſa ne ſit, an dura, cõpacta ſolida, ſiccáue, vt lignorũ, radicum ſiccarũ, corticum, ac ſeminum, an tenuis imbecillis, & facile reſolubilis, vt adianthi, aſpleni, epithymi, ſenæ, rhabarbari, agarici, cuſcutę, ocimi, myricę, thymi, violæ purpureæ, croci, ſchœnianthi, florúmq; cum bugloſſi & nympheæ tum etiam cæterarum plantarũ. Atqui meminiſſe quoque oportet, odorata ferè omnia leuiſſima indigere coctione. nã tametſi ligni cortex ſit vulgare cinnamomum

momum, & zingiber, acorus, iris, galanga, aſarum, nardum, ſint radices, cùm tamen horum omnium vis ſit in ſuæ ipſorum ſubſtantiæ tenuioribus partibus, vbi coquuntur plus quàm par ſit, facile diſſipatur & perit, ac in auram euaneſcit. Itaque cùm plura ſimul diuerſarum ſubſtantiarũ coquenda erunt, quæ compactiora fuerint, & diutius excoqui poſtulant, primò in tepidam aquam coniecta aliquandiu maceranda ſunt, & deinde coquenda. Hęc deinde conſequi debent, quæ mediocriter, ac poſtremò, quæ leuiter coquenda veniunt. nempe primùm ligna, deinde radices, ſemina, lignorũ cortices, deinde herbas, poſtremò flores, qui tamen macerari potius, quàm coqui debent. Cæterùm percocta omnia macerari oportet à coctione in ſuo ipſorum iure quouſq; egelida fuerint, demum ius linteolo percolandum, atque in vſum recondendum. Porrò & illud haud ignorandum, ſcilicet quòd vbi herbæ, radicéſque recentes fuerint, minus aquæ ad cocturam ſumendum eſt, quàm vbi aridæ fuerint elixandæ. Cùm enim hæ duriores aridioréſque ſint, & diutius concoqui poſtu-

lent, humorísque non parum combibant, longè plus aquæ expoſcũt, quàm quæ recentes ſunt, & virides. Prætereà animaduertendum eſt vt vas (quod fictile potius, quàm æreum eſſe debere ſtatuo) in quo medicamenta, & pręſertim, quæ calidam poſſident qualitatem, ac tenuiorum ſunt partium, perpetuo contectũ ſit cooperculo fornicato, ſeu concamerato, quod in fictilis os inſeratur, nanque vapor omnis, qui ex feruore ſurſum fertur fornicatum cooperculum petens in aquã conuertitur, quæ deinde in feruentem ollam guttatim ſtillat, ac recidit. Quo fit vt vapore concluſo nulla vis deperdatur, quemadmodum deperdi ſolet in decoctis, ſeu apozematibus, quæ in publicis parantur myropoliis vbi cacabis ex ære fabricatis, nullo prorſus cooperculo adhibito, hæc parari ſolent, magno cùm medicorum tum ægrotantium detrimento, minimè qui ita parant conſiderantes, quòd vbi calida, tenuiſimque partium ſimplicia coquuntur, potior eorum pars in auram deperditur. Atqui interim dum hæc ſcribo Ioannem Farnelium virum perquàm doctiſſimum, mirari ſubit,

quippe

quippe qui lib.4.cap.4.& 11.meth.medendi in Ioannem Baptiſtam Montanum Veronenſem medicum omnibus numeris celeberrimũ his verbis inuehitur. Non enim(vt quidam prodidit) aqua ſimplex tanquã communis ſit materia omnium cum quibus permiſcetur, cum calidis calefacit, & cum frigidis refrigerat, neque ſi ſeorſum diutius coquatur (quod ille putat) incaleſcit, ſed frigida ſemper tametſi minus, perſiſtit, ac perpetuò calidorum, & attenuantium, quæ incoquũtur vim obtundit, quin etiam coctio omnis eorum quibus tenuis eſt materia vim aut minuit, aut prorſus diſſipat, craſſarum verò vt metallorum adſtringendi, ſiccandíque facultatem auget. hæc ille. Quæ quidem immenſam Farnelij in materia medica doctrinam, atque experientiam ne per ſomnium quidem, reſipere videntur. Si quidem his apertiſſimè refragatur Galen. Quippe qui libro primo, cap.4.de ſimpl.med.facul. At ſi marinam aquam, inquit, aut muriam, aut id genus aquam miſtam, bituminoſam videlicet, aut ſulphuroſam admoueas, vſque adeo hominem offenderis, vt partem ipſam ſis aduſturus:

quibus

quibus palam est, quòd aqua in quam calida venerunt medicamenta, non solùm excalfaciat igni non admota, sed etiam vrat. Id quod etiam affirmat esse falsum, coctionem, quæ in aqua fit calidorum, & attenuantium medicamentorum vires minimè retũdere, minuere, & prorsus dissipare. Nanque si id verum esset, aqua in qua aut sal, aut calx, aut acerrimus lignorum cinis, aut arsenicum, aut chalcanthũ, aut argẽtum viuũ, quod officinæ sublimatũ vocant, incoctum fuerit, particulis quibusuis corporis admota haudquaquã ea exulceraret: sed cũ secus res se habeat, cadit, perítque (eius pace dixerim) Farnelij sententia. Quo fit vt asserere nõ dubitauerim aquam omnino suá immutare naturam, vbi cum vehementer calidis permista fuerit, quod iis superantibus frigiditatem amittat. Nam sicut ignis, cui aqua admouetur, eam adeo actu incalescere facit, vt dum calẽs est, vrat, & exulceret, ita & quæ vehementer calida sunt medicamenta, aquæ incocta aut macerata, sua quoq; potentia calidam ipsam efficiũt. Sed hæc est inter ignis & medicamẽtorum calorem differentia, quòd ignei caloris vis, vbi
aqua

aqua refrixerit, euanescat, medicamen torũ verò contra, quòd omnino sit inseparabilis, nec vnquam deperdatur. Hincq; fit vt tam calida, quàm frigida admota aqua, in qua vehementer calida incocta sint, perpetuò exulceret, & vrat. Cęterũ quòd aqua quę seorsim coquitur, caliditatẽ haud paruã acquirat (vt Montanus asserebat) testatur Gal. lib.3.c.22.de sim.med.fac.vbi sic habet: Aqua pura diutius feruefacta, salsior redditur, nec mirũ cùm ipsa aqua optima diutius decocta salsam qualitatem tandẽ assumat. hæc ille. quibus, cũ salsus sapor omnium consensu ex calore, & siccitate proueniat, palam sanè est aquã diutius coctã; calidam assecutam esse qualitatem. Itaque ex præscriptis concludendum est, calidorum medicamentorum vires, quæ in aqua elixantur, haud quaquã obtundi, minui, aut prorsus dissipari, præsertim cùm sensibus manifestè pateat, aquam in qua allium, cæpa, porrum, zingiber, piper, pyrethrum, guaiacum lignum, non aliter dum potatur, fauces, & guttur vellicare ac vrere, quàm si piper ipsum aut zingiber deglutiretur. Id quod pariter accidet, vbi quispiam aquam potauerit

in qua

in qua amara medicamenta, nempe lupini, gentiana, minus centauriũ aut absinthiũ incocta fuerint. Quo fit vt non sit opus pluribus hæc comprobare.

De Inquisitione siue de Maceratione.

CAPVT XVII.

DIximus de elixatione satis, nunc verò de infusione disserem⁹, quæ quidem in medendis morbis magnam affert medicis commoditatem, & præsertim vbi ęgri aut morosi admodũ, aut delicatiores fuerint, & solida respuerint medicamenta, sed & illud plurimi faciendum cẽseo, quòd infusiones non solùm integras medicamẽtorum vires asseruent, sed quòd decoctis longe gratiores, præstantioréſque habeantur, vbi recta parandi ratione fiant. Præstat autem maceratorum dilutum, longè magis, quàm elixorum decoctum, quoniam exoluentium medicamentorum vires valentius in se recipiat, contra verò decoctum. In eo sanè infusionem præcellit, quòd eorum medicamentorum vires quæ in crassa, & terrena substantia consistunt, longè melius extrahat, & excutiat. Quamobrem qui materiam medicam intelligunt, ea ferè

semper

ſemper macerant, quæ aluum ducunt, quòd eorum vis in tenui ſubſtantia reſidat. Deponunt enim huiuſmodi medicamenta, in aquam, aut ſerum lactis, aut vinum, in quibus macerantur, perbelle quidem vim ſuam omnem exoluentem, id quod non paruo fit ægrotantium commodo. Nanque ſæpe accidere ſolet, vt qui craſſæ ſubſtantiæ potiones præ nauſea ebibere, aut catapotia deuorare nequeunt, his maceratorum ſimplicium dilutis diligenter paratis ad parendum medicis alliciantur, & ſubinde abſque vllo incommodo purgentur, quo poſtea fit, vt libentius iterum, atque iterum eiuſmodi potiones hauriant, vbi contumax morbus vno tantum hauſtu euinci non poteſt. Dantur præterea hæ potiones ſecurius, quàm quæ medicamentorũ integram ſubſtantiam habent, quòd ventriculo, ac inteſtinis haud hæreant, tormina, & alia incommoda non excitent, & magis obſtrictos meatus aperiant, ac peruadant. Cæterùm præter hæc eſt infuſio admodum vtilis ad olei genera ferè omnia parãda, quibus in myropoliis eſt vſus, nam paucis omnino exceptis, quæ per alembicum deſtillari

ſolent,

ſolent, ac etiam prælo exprimi, in oleo ipſo plãtarum folia aut flores, aut ſucci tamdiu inſolantur, aut in balneo calentis aquæ detinentur, quàm ſat fuerit. Præterea non ſemper medicamenta infundimus, vt eorũ vires in liquorem, in quo macerantur transferamus, ſed etiam vt vires quæ in ipſum liquorem, prius trãſlatæ ſunt in aliud tranſferamus medicamẽtum. Siquidem hac ratione Aloë tum in aromatum, tum in Rhabarbari infuſione, tum quoque in roſarum ſucco aliquando maceramus, quouſque dilutum ipſum ita paratum combibat, cùm ventriculum, aut caput, aut iecur, catapotiis inde paratis iuuare cupimus. Quinetiã Turpetum in agreſtis cucumeris ſucco aliquãdiu macerandum relinquimus, vt adaucta purgatoria facultate, excrementitios humores à remotioribus corporis partibus valentius educat, ac trahat. Præter id macerantur & quædam alia ad læſionem prohibendam, quem ventriculo & inteſtinis medicamenta quædam hærẽdo inferunt. Itaque colocynthidis pulpam in tragacanthæ lachrymæ mucagine, atque ſcamoniũ in oleo violaceo macerari ſolẽt periti medici,

vt

vt adepta hoc pacto lubrica qualitate, facilius permeent. Hac etiam ratione, exuperantem acrimoniam exuunt chamælæa, thymelæa, & pityusa, si prius aceto macerata siccentur: Porrò medicamenta, quæ maceranda sunt, & præsertim à quibus vires deiectorias elicere volumus, si arida fuerint, & humore destituta, vt senę folia, vel siccæ radices nempe rhabarbari, polypodij, aut asari in tenues particulas prius concidenda sunt & deinde in aqua vel lactis sero maceranda in fictili vase vitro vbique obducto atque circumlito, oris angusti, vt melius faciliúsq; occludi queat. Itaque medicamentis (vt prędiximus) paratis, in huiusmodi fictile coniectis aqua feruens superinfunditur, fictilísq; osculum adeo concluditur, vt nullus penitus spirãdi pateat aditus: His peractis; puluinari plumis anserinis referto, igníque calefacto, vas inuoluitur, & in arca aliqua reponitur, ibíque tamdiu asseruatur donec quæ infusa sunt satis macerentur: Id quod diei vnius spatio commodè fieri solet. Sic enim conseruato calore, omnem medicamenti facultatem dilutum in se recipit. Sunt qui in tepido tantum liquore

(vt Farnelius iubet) dilutum parari do-
ceãt triduo, aut quatriduo, verùm cum
vehementior extrahendi vis inſit vbi
calor vehemẽtior quoque fuerit, quàm
vbi remiſſior, ego quidem perpetuo
feruenti aqua vſus ſum, idq́ue non mo
dò, quòd citius, & fælicius res ipſa mi-
hi ſucceſſerit, ſed etiam quòd odora-
tiores, gratiores, præſtantioréſque po-
tiones hinc profectò fiant. Siquidem
quæ in egelido liquore macerãtur, non
niſi diuturniori tempore perficiuntur,
nempe trium, aut quatuor, aut fortaſſe
plurium dierum ſpatio. Quo fit vt in-
terim dilutum aut ſitum, aut acorem,
aut putredinem, aut graueolentiam
contrahat, quibus non ſolum ſumen-
tibus magna admodum cõcitatur nau-
ſea, ſed quod peius eſt, ipſum corrumpi
tur medicamentum. Præter id tantum
aquæ, alteriúsve liquoris accipiendum
eſt, quantum ſatis ſit pro medicamen-
torum quantitate. Videlicet vbi (exem
pli gratia) ſenæ aridæ vncia maceran-
da ſit, aquæ vnciæ decem ſuperinfundi
debent, vbi verò vel huius, vel aliarum
plantarum folia viridia recentiáq; fue-
rint, minor ſanè quantitas ſufficiet, vt
in elixatione ſuperius diximus, quòd
plus

plus arida, minus recẽtia liquoris combibant. Vtimur autem dilutis eiuſmodi ratione paratis non ſolum in apozematibus, ſed etiã fœliciter admodum, in quotidianis potionibus aluum mouentibus, quòd hæc (vt diximus) longè gratiora ſint quàm ipſa ſolidorum ſubſtantia: quin etiam, quòd quæ liquida ſunt, citius quàm craſſa per corporis meatus diſtribuantur. Quare rectè Hippocrati dictum eſt, facilius refici nos poſſe potu quàm cibo.

De Destillatione. CAP. XVIII.

PRiſcorum Medicorum nemo fuit, qui quicquã ad poſteritatem tranſmiſiſſet de arte eliciendi aquas ſtillatitias ex plantis, aut aliis quibuſuis vegetabilibus. Parabãt illi potiones ſuas ex dilutis, vel decoctis ad curãdos corporum noſtrorum affectus, aquarum ſtillatitiarum nulla habita mentione, aut fortaſſe notitia. Inuentum ergo hoc nouum eſt, referúntque quidam ad Chymicæ artis profeſſores, alij ad Medicum quendam, qui (vt narratur) dum forte fortuna betam decoctam adhuc calentem in ſtagneam patinam effunderet, & alteram ſimilẽ patinam ſuperponeret, ne ſtatim refrigeſceret olus,

idq; vbi sub edendi tempus detegeret, viderétq; superiorem patinam, aqueo liquore, ipsóque copioso adeò resudan tem, vt vndiquaque plurimæ excurrerent guttæ, quæ oleris iam cocti tum odorem, tum saporem resipiebant: his omnibus diligenter consideratis sicque omnibus diligenter consideratis sicq́ue artem à natura edoctus instrumentum excogitauit plumbeum campanæ rostratæ modo paratum ad cõtegendam æneam patellam super fornacem compositam quæ herbas excipit, vt subdito igne, stillatitias consequeretur aquas. Id quod illi felicissimè cessit. Elegit ille sanè non sine ratione plumbea hæc instrumenta, quòd sibi persuadetur plumbum ob suam, quam possidet frigiditatem, ascendentem vaporem à plantis ab igne calefactis, perquam facilè in aquam vertere posse. Et rectè quidem, cùm è nullo alterius metalli, aut materiæ Alembico tam copiosa educatur aqua, vt è plumbeo. Id cùm postea contemplarentur alij nouum modum excogitarũt, quo vno tantum igne & vna tantum fornace plura concalefacerent vasa, singula singulis plumbeis alembicis contecta, vt minore sumptu, ac labore, copiosas adipiscerentur aquas.
Quam

Quamobrem fornacem, cuius imaginem primo loco dabimus ſibi fabricarunt. Cęterùm cum non deſint, qui ſemper meliora inuentis addere ſatagunt, præſertim chymicæ facultatis profeſſores. ij cùm viderẽt eiuſmodi aquas plũbeis alembicis paratas ſuarum plantarum odores, ſaporéſq; haud quaquam reſipere, ſed potius fumum olere, & aduſtionis nidorem, & quæ ex amaris acutíſq; plantis fierent, nec amaroris aliquid, nec acredinis, ſed dulcedinis non parum guſtantibus reddere, aliud ad hoc munus obeundum inuenerunt inſtrumentum, quod veſicam appellauere, quo paſſim vtuntur ij qui è vini fæcibus Aquam vitæ deſtillant, herbis vnà cùm communis aquæ non mediocri quantitate in vas æneum coniectis, vt ex fornacis ipſius imagine quiſpiam videre poterit. Cæterùm cõcinniorem modum poſtremi repererunt: quippe qui eiuſmodi aquas in feruentis aquæ balneo, quod Mariæ chymiſtæ vocant, aut ſuper vaporibus extrahunt. Siquidem conſtat has eſſe omnium præſtantiſſimas, quòd ſuarum plantarum tum odorẽ, tum ſaporem egregiè retineãt. Euenit ſanè hoc, quoniã balneum fer-

uentis aquæ ſua ipſius humiditate partes tenuiores retinet, cõſeruat ac cuſtodit in herbis, quo fit vt eæ nõ reſoluantur ſuis in plantis, quemadmodum in iis, quæ lignorum, aut carbonum violẽto igne exuruntur in patellis, quapropter, inter aquas, quæ balnei calẽtis vi deſtillãtur, & quæ plumbeis alembicis extrahuntur, tanta deprehenditur differentia: quanta inter vinum & aquam. Quippe quæ fiunt in balneo feruentis aquæ, aut ſuper ipſius vapore, vitreis alembicis ad id muneris paratis, vt poſtea oſtẽdemus, eæ quidem ab herbis, & floribus, à quibus manant, nec ſapore, (vt paulò antę diximus) nec odore diſcrepant: quin etiam non ſolum herbarum qualitates ſecum trahunt, ſed etiam tam limpidæ, claræ, ſynceræque proueniunt, vt ne tantillum quidem fumi, vel aduſtionis nidorem reſipiant. Contra verò nunquam, vel rariſſimè guſtaueris aquas è plumbeis alẽbicis reſultantes, quin tibi fumidum quiddã in ore relinquant. Quæ res non modò guſtantibus, bibentibúsve, præſertim ægris, qui cæteris moroſiores ſemper eſſe ſolent, nauſeam mouent, & moleſtiam afferunt, ſed plurimum noxæ pectori,

ctori, ventriculo, iocinori viſceribúſq; omnibus ingerũt, quòd à plumbeis vaſculis è quibus deriuantur malas qualitates eliciant, & in ſeipſas contrahant. Quare rectè à Galeno dictum eſt lib. 7. cap. 2. de cõp. med. ſecund. loc. vbi confectionem è papauerum capitibus parat, fugiendas, vitandáſque eſſe aquas quę plumbeis canalibus ducũtur, quòd dyſenteriã faciat, & abradat inteſtina. Patet hoc manifeſtiſſimè in abſinthij aqua ex plumbeo Alembico profecta, nam eam dulcem eſſe conſtat, non amaram. Id quod à plumbeis inſtrumentis, quibus cõficitur (vt diuturna docet experientia) euenire certum eſt, ídq; non ſolùm in abſinthij aqua; ſed etiã in alterius cuiuſuis plantæ, temperamento calido & acri ſapore prędite. Siquidem cùm plũbeus alembicus huiuſcemodi plantarum vaporibus, tum actu, tum poteſtate excalfacientibus ſuperficietenus afficiatur, corrumpatúrve, fit quidem vt ſuperficies ipſa ita affecta in tenuiſſimam ceruſſam vertatur, quæ deinde aquis ſe commiſcens, illis dulcedinem addit. Atque id videre eſt in albo harum aquarum ſedimine, præſertimque vbi aquæ per plumbeum alem-

bicum recens paratum meauerint. Nam vas, quod diu in hoc opere vſurpatum eſt, obducta circumquaque quadam veluti gypſea cruſta, nõ ita facile à calidarum aut acrium plantarum vaporibus inficitur, & in ceruſſam vertitur. Porrò nulli mirum eſſe debet ſi ab acri plantarum vapore plumbi ſuperficies in ceruſſam mutetur, cùm ceruſſa ipſa (vt Dioſcorides eſt autor) paretur laminis plũbeis ſuper aceti vaporibus ſuſpenſis. Quod quidem aquis iis non euenit, quę duplici vaſe vitreis organis in calentis aquæ balneo conficiuntur. Nã eæ ſufficienter amareſcere aut fauces linguámve vellicare, ſi fiant ex amaris, aut acribus plantis, ſentiuntur. Præterea dulcedine carent quòd à vitreis inſtrumẽtis, vnde guttatim fluunt, nullam aſcititiam qualitatem recipiant. Porrò quæ parãtur in æneo vaſe, (quod Germani Veſicam vocant) ſtanno circumlito, longè etiam meliores habentur, quàm quæ è plũbeis roſtratis campanis eliciuntur; quòd ſuppoſitus ignis herbas in aqua ferueſcentes, nec vrere, nec fumido nidore inficere queat. Attamen nec hæ integras herbarum vires retinẽt, ob aquæ communis admiſtio-

nem,

nẽ, quæ illas minuit, & hebetat. Quamobrem aquis tantùm illis palma danda quæ in balneo aut balnei vapore parantur, & præſertim, quæ fiunt ex herbis facultate calidis. & hæc de modis diſtillandarum aquarum à plantis & plantarum floribus in vniuerſum dixiſſe ſufficiat. Peculiaria enim inferius deſcribẽtur vbi fornacum, & inſtrumentorum imagines appictas dabimus. Quòd autem ad aquarum ſtillatitiarum vires ſpectat, ſciendum eſt iiſdem eas pollere viribus, quibus & herbę, & flores, à quibus eliciũtur, præditæ ſunt. verùm non omnino adeò prǫſtãtibus, quippe quòd in diſtillando non modicum ſubſtantię deperdatur, & in auram euolet, quo fit vt non deſint medici, qui decoctis, & dilutis potius vtantur; ſiquidem ex guſtu, olfactũq; apertiſſimè conſtat, longe plus virium in his contineri, quàm in aquis ſtillatitiis. Verùm quia decocta ac diluta ægris haud æquè placere ſolent, vt aquæ ipſæ ſtillatitię: ideo hæ potius quàm illa eligendæ, vbi ægrotis gratiora pocula offerre volumus. Ad quam rem etiã Myropolarum diligentia requiritur, vt ſcilicet eas aquas probè, vt diligenter conficiant. Sunt præ-

terea ſtillatitiæ aquæ admodum vtiles ac neceſſariæ, adeo, vt decoctis quibuſdam in medicamentis non parùm anteferri debeant. Nam vbi in ardentibus febribus, & æſtatis feruoribus potus aliquis parandus fuerit, qui & ſitim valenter extinguere & guſtum potantis oblectare queat, fœlicius commodiúſq; id proculdubio fiet cùm aquis admiſtis ſtillatitiis, aut vino punicorum malorum, aut roſaceo, violaceóve iulapio, aut ex citrei, aut limonij mali ſucco, quàm cum quouis decocto quantuncunque optimè parato. Idem etiam euenit vbi aut ad oculorum morbos collyria, aut in capitis dolore oxyrhodina, aut in iocinoris, & cordis affectibus epithemata paranda erunt. Prætereo quantum conducant ſtillatitiæ aquæ ad odoramenta paranda cùm in medicum potiſſimum vſum, tum ad diuerſi corporis delitias, cuiuſmodi ſunt, quæ parantur è floribus roſarum; pomorum aurantiorum, myrti, & aliarum plantarum, quorum flores ſuauiter ſpirant. Silebo quoque quantum valeant ad mulierum ornatum, & ad conciliandum in eis faciei nitorem, quæ fiunt è radicibus polygonati, bryoniæ, agreſtis


cucumeris, ari & fabarum floribus; ne videar his rebus magis intentus, quàm cæteris, de quibus scribere decreuimus. Sed de stillatitiis aquis hactenus. Reliquum est vt de stillatitiis etiam oleis, dicamus præsertímq; de his, quæ è vulgari cinnamomo, è Caryophyllis, myristicis nucibus, maci, atque anisi, fœniculi, cari, melanthij aliarúmque plantarum seminibus, quinetiam è iuniperi baccis per alembicum parantur, & vsui medico plurimum conferunt. Scripsere quidē de huiuscemodi oleis parandis quidam magni nominis medici, sed an vera, vel falsa ij postea dicent, qui periculum fecerint. Atqui vera, securáq; parandi ratio hæc est. Sumitur (exēpli causa) Caryophyllorum electorum libra vna. Caryophylli contunduntur in tenuem puluerem, & deinde macerantur ex libris sex aquæ fontanę egelidæ in vitreo vel stanneo vase diebus quindecim continuis, post modum per alembicum quod vesicam vocant, quo cum aqua vitæ parari solet, distillantur. Siquidem hoc pacto oleum vnà cum aqua distillat, quod deinde ab ea facilè separatur. Porrò si diligenter laboratur Caryophyllorum libra, olei

Olei distillandi ratio ex aromatibus.

vnciam reddere solet: atqui plus, aut minus pro Caryophyllorum bonitate, ac præstantia. Eodem etiam modo paratur è cinnamomo, quod tamen plus aquę requirit, & minus olei reddit, cùm ex libra vix drachma colligatur. Nec aliter fit, quod ex præscriptis paratur seminibus, & iuniperinis baccis. Sic quoque optimè conficitur ex myristicis nucibus & mace. Sed hæc macerare oportet prius contusa in vitreo vase cæco alembico, (vt chymicis verbis vtar) occluso, mensis vnius spatio, in balneo calidæ quidem sed non feruentis aquæ, ac deinde eadem ratione distillare. tametsi è myristicis nucibus contusis passim ab vnguentariis parari soleat, iis prius calefactis, deinde prelo expressis, perinde ac oleum, quod ex amygdalis nucibus paratur. Cæterum possunt quoque distillari hæc olea per vitreum alembicum vbi in vrinale chymicum vitreúmque luto incrustatum, quæ iam macerata fuerint aromata imponantur & deinde superposito alembico distillentur in fornace ita parata, vt suppositus carbonum ignis vrinalis fundum attingere possit: Sed curare oportet quòd vrinale præscriptum spi-

thamæ

thamæ menſuram non excedat. ſic itaque vtraque parandi ratione è præſcriptis oleum habebis precioſiſſimum, ſynceriſſimum, ac odoratiſſimum, abſq; vllo aduſtionis, fumíque nidore, cuius vna aut altera tantum gutta longè plus valebit in medicamẽtis parandis, quàm ſi integram cinnamomi, aut caryophyllorum vnciam adderes. Hæc accepta referant velim, qui legunt Balthaſſari Clauſelio harum rerum peritiſſimo, indagatoríque acerrimo Sereniſſimi Principis mei Ferdinandi Archiducis Auſtriæ, Pharmacopæo, qui mihi hæc ſua ſecreta reuelauit, & nonnullorum alioqui clariſſimorum virorum fabulas patefecit, qui ab aliis fortaſſe deluſi, ac decepti, de hac materia ſcripſerunt. Quod verò ex reſina terebinthina, larigna, abiegnáq; paratur in vitreis vaſis luto circũlitis in fornace ſabulo, aut cinere circumquaque ſtipatis, elicitur, igne primùm lento, deinde paulatim aucto, ac poſtremò vehementer accenſo.




Prima

Prima Fornax.

HÆc fornax ad huiuſce imaginis formam parata quàm plures poteſt capere roſtratos alẽbicos è plumbo paratos, qui vnico tantum igne calefieri poſſunt. Eius autem imaginem hic appingi curauimus; non quòd in medicum vſum rectè venire poſſit, eas ob cauſas de quibus diximus, ſed vt omnes inſpicere queant, quo pacto ſuperioris ætatis pharmacopæi ſuas confecerint ſtillaritias aquas; atque vt ſciant qui in hanc vſque ætatem iis vtuntur quantum lęſionis ac detrimenti huiuſmodi aquæ afferant ægris.


Secunda



Secunda


Secunda Fornax.

FOrnax Veſicam æneam (ita Germanis vocatã) æneo pariter alembico contectam, continet, cuius roſtrũ ligneum cadum aqua frigida plenum perforat, vt tranſeuntes vapores ſiue ſpiritus facilius in aquam vertantur. Hoc itaque alembico(vt prædiximus) aqua vitæ paratur, quin etiam aqua quæuis alia è quibuſcunque plantis; ac præterea Olea omnia ex aromatibus; de quibus paulo ſuperius abundè diximus.



Tertia Fornax.

BAlneum eſt Mariæ ſimpliciter paratum cum vno tantum alembico. Inferius vas quod ſtanneum eſt, matulæ magnæ oblongæ ſimile habetur, tum æneo aheni cooperculo ita plumbatum, ferruminatúmque, vt alterum ſine altero extrahi non poſſit. Simul imponuntur, ſimul quoque auferuntur. Atqui roſtratum alembicum vitreum eſſe oportet. Vbi autem aqua in aheno ex longo feruore defecerit, aperto foramine, quod cuneo concluſum in aheni operculo ſpectatur, alia etiam feruens infunditur, donec ahenum repleatur.




Quarta

Quarta Fornax.

BAlneum hoc quatuor continet alembicos vitreos, quorum vaſa in balneum collocanda, & vitrea, & ſtannea eſſe poſſunt. Quod autem in ſummo eminet, vapore tantum aquæ inferioris balnei per æneam fiſtulam ſurſum aſcendente calefactum, aquam à contentis herbis aut floribus ſtillat omnium optimam.

***



Quinta

Quinta Fornax.

BAlneum hoc eſt elegantiſſimum in quo vas ſtanneum triũ ſpithamarum longitudine, tumido inferius ventre reſidet, cuius ſuperior pars, in qua ſitum eſt orificium, per rotundum foramen in medio balnei cooperculo exciſum, ad ſpithamæ altitudinem ſurſum porrigitur. Huic inſeritur ſtãneus alẽbicus, quem vas aliud eodem metallo conflatum, amplioris latitudinis excipit, ad frigidam recipiendam aquam, quæ ex ſuperiori oblongo vaſe, in ſumma colũnæ parte reſidente per æream defluit fiſtulam, vt ſtanneum alembicum in medio ſtantem circundet & refrigeret. Siquidem eo continuò refrigerato, fit quidem, vt vapores aſcendentes longè melius concreſcant, & in aquam vertantur. Id quod in cauſa eſt, vt copioſiorem aquam recipiant artifices. Vbi autem ipſa aqua frigida paulò pòſt à calore alembici calefiat, illico fiſtula in inferiore parte vaſis alembicum recipientis, euacuari poteſt, aperto epiſtomio, & alia iterum frigida denuo vas ipſum repleri. Atqui ne tantum laboris in effundenda, & refundenda hac aqua ſuſcipiant miniſtri,

poteſt ſuperioris vaſis fiſtula, quod frigidam continet, epiſtomio ita ſubinde regi ac moderari, vt tantum aquæ continuò in vas alembicum circundans diſtillet, quantũ huiuſce recipientis fiſtula, ſuo ipſius epiſtomio moderata, cõtinuò vacuari queat. Vt autem balnei ipſius ahenum eadem ſemper aquæ quãtitate refertum ſit, & ne aqua quæ ignium vi continuè conſumitur in eo deficiat, arte quidem factum eſt, vt vas aliud in inferiore parte columnæ repoſitum calidiſſimam aquam continuo per ſuam ipſius fiſtulam epiſtomio moderatam in ahenum effundat, quæ quidem in ſuo vaſe calefit eodem igne, quo ipſum calefit balneum, ſiquidem vacua eſt parietis columna vſque ad ipſius inferioris vaſis fundum.

Sexta



Sexta & postrema Fornax.

POstrema hac fornace vtuntur Veneti ac Neapolitani aquarũ stillatitiarũ artifices, qui vitreis alembicis abundãt, in qua vna tantũ die & nocte sicco ignis calore, eliciuntur aquæ centum libræ. Fornax rotunda est, vt ex imagine hic appicta apparet, fornacibus, quæ in Germanorum visuntur vaporariis, omnino similis. Continet hæc in vniuerso suo ipsius ambitu, (vt visitur) numerosa fictilia intrinsecus vitro incrustata, matulæ maioris formã referentia, & diligẽti sanè artificio argillaceo luto fornaci agglutinata, quibus singulis, singuli adduntur vitrei alembici, è quorum vertice ex globulo ad hoc parato, recipientia crassiusculo funiculo adalligata pendẽt. Calefit itaq; hæc fornax eodẽ modo, quo calefiunt in alpinis tractibus vaporariorum fornaces, atqui dum ignis vehemens in principio est, vacua relinquunt vasa, donec parũper remittatur, ne violento calore, plantę, aut flores exurãtur. Tũc itaq; plures ministri, qui hoc tantũ artificio aluntur obstructo vndiq; fornacis ostio, ne conclusus deperdatur calor, herbas fictilibus addunt, & simul

vitreos

vitreos applicant alembicos. Atque in hunc modum copiosas eliciunt aquas, quæ omnino longè meliores habentur, quàm quæ plumbeis parantur instrumentis, quòd nullam metallorum contrahant infectionem.

De colliquatione, & dissolutione.
Cap. 19.

MEdicamenta quę liquátur in medicum vsum, plura sanè sunt, sed non omnia vna, & eadẽ ratione liquari possunt. Cera enim, resinæ, adeps, medulla, butyrũ, & oleũ, quod hyberno frigore concreuit, moderato ignis calore liquantur, nullo prorsus humore addito, mastiche verò, sandarax, thus, myrrha, styráxq; quæ syncera sit, ladanum, euphorbium in oleo ad ignem facilè liquantur: quin etiam & in mortario facilè conterũtur, vbi sicca satis fuerint. Atqui Gummi, nempe Ammoniacum, opoponax, bdelliũ, sagapenum, galbanũ, sicco ignis calore liquari nequeũt, sed prius ex vino vel aceto macerata ad ignẽ, rudicula continuo agitata dissoluuntur. Cæterùm gummi quod Arabicum vocant, & tragacanthæ lachryma, nõ nisi aqua aut quouis alio aquoso, vinosóue liquore infusa liquefiunt.

Metal

Metallica autem medicamenta, nempe argenti ſpuma, ceruſſa, vulgare miniū, ęrugo, chalcanthū, chalcitis, miſy, ſori, quo pacto liquari debeāt docet Galen. lib.1.cap.5.de comp.med. ſecundum genera, ſic inquiens. Licet itaq; nobis in varium vſum adminiſtrare argēti ſpumam interim ex oleo, & aqua, coctionem eius, ad vſque emplaſtri ſpiſſitudinem molientibus, interdum ex oleo, & aceto, aliquādo ex oleo, & vino. Porrò in quibuſcunque iſtorū coquatur, melius id medicamenti redditur, quod magis coctū fuerit; quod liquidorum, quæ miſcētur copia cōtinget. Eſt enim ex iis pharmacis, quæ liquefieri poſſunt, etiā argenti ſpuma, dū tota funditur ſicut reſina, & cera, ſed non ſtatim vbi ignē contigerit: vnde multis impo nit, qui nullo modo ipſam fundi exiſtimant: igitur ſi cum oxeleo coquatur, liqueſcit citius; perinde ac cum ęrugine, quæ & ipſa fundi natura ſolet, vti chalcitis quoq;, & miſy. Ipſorū itaq; celerrimè chalcitis funditur, tardiſſimè argenti ſpuma: at in horū medio ſunt ęrugo, & miſy. funditur ſori, ſed longiore tēporis interuallo, quod terreſtre magis, & ſaxeū ſit, quàm chalcitis & miſy.

Argenti autem ſpumam per oxelæum coquens, ocyus liquefacies, per hydrelæum tardius: tamen funditur ſic quoque, ſi duplum eius ſit vterque humor: Ego certè plus quàm duplũ miſcui frequenter. Atqui melius eſt ſtatim ab initio hæc tria in mortario miſcere, argẽti ſpumam, aquam, & oleum. hactenus Galenus. Alumen quoque liquatur ex aceto, & melle coctum, & præſertim addita ærugine, ſic enim paratur vnguentum quod Aegyptiacum vocant officinæ. Concreti autem plantarum ſucci, nempe hypociſtidis & glycyrrhizæ, lycium, opiũ acacia, & glaucium facilè in aqua aut alio quouis liquore, liquari poſſunt, qui cum eorum viribus conueniat.

De tritura. CAP. XX.

Sicca, omníque penitus humore expertia medicamenta vbi in puluerem cõuertere cupimus, id tritura fieri conuẽnit: vt autem quod potentia ſunt medicamenta id actu fiant, in tenuem conterimus puluerem: ſi quidem, quæ poteſtate calida ſunt, quo tenuius ſunt trita, eò citius, & facilius à noſtro calore actu calida euadunt, & nos vehementer calfaciunt, cùm integra ipſa, *Gal.li.1. cap.11. de ſimp. medic.fac.*

parum, aut nihil excalfacere queant: quemadmodum enim integrum piper in ore retẽtum, aut deuoratum, parum aut nihil excalfacit etiam post longum tempus, eius vero tenuissimo puluere vix degustato lingua & fauces statim à contactu exurũtur: eodem sanè modo calida omnia potestate tusa longè magis nos excalfaciunt, quàm si integra deuorentur. Id quod de frigidis medicamentis dicimus. Est etiam tritura vtilis admodum ad mistionis necessitatem. Nam quæ tenuissimè trita sunt, & cribro tenuissimo creta simul compositionibus commiscentur, vt partibus suis minimis se mutuo contingentes, promptius, & valentius se inuicem afficiunt, donec tandem compositi virtutem vnam rectius conflant. Teruntur præterea medicamenta simplicia magis, vel minus, vt facultatem acquirant à prima diuersam. Quæ enim tenuissimè sunt tusa, (vt Galenus inquit) & cribro tenui, creta promptissimè in totum corporis habitum digeruntur; Atqui crassiora è diuerso in vẽtre hærent, quia angusta venarum ora subire nequeũt. Ob id enim idem dicebat Gale. Diospoliticon crassius facio,

Libro 4. cap. 7. de san. tuẽd.

cum

cum aluũ per id ducere ſtudeo, tenuiſſimum verò pollinis modo cum vrinas mouere. Hinc itaq; diſcant qui rhabarbarum ad ducendã aluũ contritũ propinant, ſi quidem hac ratione craſſiuſculè tritum, valẽtius quàm tenuiſſimè, purgabit. Quamobrem qui ipſum cum paſſis vuis mandunt, copioſiores alui deiectiones habẽt, quàm qui in puluerem tenuem, paribus ſeruatis ponderibus, ex liquore aliquo bibunt. Scãmonium autem vbi medicamentis facilè corpus peruadentibus miſcendum eſt, tenuiſſimè atteri debet, contra verò ſi catapotiis, aut aliis, quæ diuturniorem in ventriculo morã facere debent. Prę-ter id non omnia vna tantum ratione terenda ſunt, ſed pro ſubſtantiæ craſſitudine, vel tenuitate. Nam quæ raræ ac tenuioris ſunt ſubſtantiæ, vt rhabarbarum & ſcãmonium parũ diu terenda ſunt quòd longa tritura tenuiſſimæ eorum partes diſſoluantur, & pereant. Quæ verò denſæ admodum ſunt ſubſtantię è diuerſo diutius teri debẽt. Quare metallica omnia, & cætera terrea, longa ſanè tritura indigent, vt ſua ipſius tenuitate per longam trituram acquiſita, corporis ſpiracula peruadãt.

At qua

At qua ratione teri debeãt, quæ crassæ sunt substantiæ & acri facultate prædita perbelle docet Galenus his verbis, Meminisse vos puto, & huius, quod toties repeto fortium medicamentorum, cuiusmodi est ærugo, misy, chalcitis, sori, squama æris, ac chalcãthum ex aceto diebus pluribus contritorum morsum obtundi, bonitatem augeri. Quoniam enim metalla, quæ crassioribus natura constant partibus, potestatem suam in altũ vsque corporis, quod curatur, non extendũt, ideo vt tenuiora fiant, iis per trituram, & acetum adhibendus est cultus. Hoc enim curiose ita attenuata, ad intima vsque penetrant. hæc ille. Cæterùm nõ solùm crruda quæ metallica sunt, nos conterere oportet (vt Galenus ipse docet) sed etiam, quæ vsta sunt, diutius sunt terenda: tum eas ob rationes, quas præmisimus, tum etiam vt melius lauari possint, & pręcipuè quæ in oculorũ collyriis cùm humidis, tum siccis addẽda sunt. Quæ autem rarissimæ sunt substantię, vt agaricus & colocynthis, cum per se in tenuem puluerem nisi magna cum difficultate feri nequeãt, aut cum aliis ad rem facientibus medicamẽtis, aut

Lib. & c. 2. de com. per gen.

aut prius in paſtillos conformata, ſiccatáque terenda erunt, (tametſi agaricus ſuper in cerniculo equi ſetis parato, cõfricatus belle in farinam cedat) tunc enim facilè in tenuem puluerem comminui poterunt. Id quod maximè prohibet, ne in ventriculo, & inteſtinis hæreant. Quæ verò ſuo lentore ad trituram contumacia ſunt, cuiuſmodi habetur tragacanthæ lachryma, gummi officinis arabicum vocatũ, thus, myrrha, ſtyrax, maſtiche, euphorbium, ladanum, opium, glycyrrhizę ſuccus, quæ etſi ſimpliciter, & per ſe ſuo lentore contritioni repugnent, teruntur tamen, vbi diutius inſolata fuerint, vel moderato ignis calore arefacta, cum aliis ſicciori bus ad rem facientibus miſta. Id quod etiam de ſeminibus quibuſdã, nempe cucurbitæ, melopeponum, cucumeris, cydoniorum, citrei mali eſt etiã intelligendum. Amygdala quoque pinei nuclei, piſtacia xyli ac tale quoduis ſemẽ facilè cõteras, ſi prius cum triticeis furfuribus in patella ſuper ignẽ confricata ſiccabimus, vbi in pulueribus, quas officinæ ſpecies vocant, addi debeant. Atqui vbi in antidotis hæc addere ſit opus in mortariis lapideis ligneis pi-

ſtillis diligentiſſime ſunt atterenda, ac liquore aliquo ad id faciente, diſſoluenda, & deinde ex melle vel ex ſaccharo excipienda. Poſtremò meminiſſe oportet, non omnia medicamenta in mortario eſſe terenda, ſiquidem quæ craſſiſſimæ ſunt ſubſtãtiæ, vt ſunt gemmarum, & lapidum omne genus, corallia, vniones, & alia duriora, nullo pacto in mortariis æneis terenda ſunt, ſed ſuper porphyreis, aut aliis purioribus lapidibus ad læuorem vſque: ſiquidem vbi inconſultè, ac temerè in mortariis æneis terantur, deraſis, delimatíſque ſua ingenti duritie mortariis ac piſtillis, æris & ferri ſcobs iis admiſta, noxium ac deleterium reddit medicamentum in hominum perniciem.

De torrefactione. CAP. XXI.

SVnt & medicamẽta, quæ à medicis pluribus de cauſis igni torrẽtur, verùm non omnium vna eſt torrefaciendi intentio, quædam enim torrentur vt facilius trituram admittant quædã vt eorum vires imbecilliores reddantur, nonnulla è diuerſo, vt augeantur, quędam verò, quæ diuerſis, & pugnantibus ſunt inter ſe facultatibus, vt alteram deponant, alteram augeant. Quæ igitur

tur aſſare oportet, vt facilius triturentur, ſunt veluti tragacanthæ lachryma, gummi, ſericũ, bdellium, thus, maſtix, myrrha, & alia quædam, de quibus ſatis, ſupérque in tritura diximus. Quæ autem torrentur vt acerrima, veheménſque eorũ vis minuatur, ſunt veluti aſphodeli, dracunculi, aríq; radices, quinetiã cępa, allium, porrum. Scamonium quoque in cydonio pomo & veratrum in raphani radice immiſſum, inaſſamus, vt miteſcant. Cæterùm quæ toſta valentiores vires acquirunt ſunt veluti ſcilla, & pãcratium. Hæc autem in patella torrentur, vt depoſito humore, acriora euadant & ad purgandum valentiora. Quin etiam orizam hordeum, coriandri, oxalidis, & plataginis ſemen, torrefacimus, vt aucta ſiccitate magis corroborent. Quæ poſtremò virtute duplici ac repugnante prædita ſunt, torreri nonnunquam in myropoliis pręcipimus, vt deiectoriam vim amittant, & adſtrictoriam augeant, Hoc quidem cum rhabarbaro, myrobalanis plerunque facimus, atque iis poſtea feliciſſimè vtimur ad dyſentericos, cæliacos affectus, ac ad cæteras quaſcunque alui fluxiones, eorum

ſententiã improbantes, qui cum toſta, à combuſtis diſcernere nequeant, eos medicos reprehẽdunt, qui rhabarbarũ torrefactum, magno profecto auxilio, dyſentericis propinant. Porrò torrefaciendorum medicamentorũ neq; vnus tantum eſt modus, nec ratio vna. Sunt enim quæ in patellis torrentur, vt oriza, hordeum, coriandri, & oxalidis ſemen. Sunt & quæ ſupercalefactis tegulis, vt tragacanthæ lachryma, gummi, bdellium, ſericum, crocus, rhabarbarũ, myrobolani: Nec deſunt quæ in furno torreri oporteat, vt Scamonium in cydonio pomo occluſum & farinaceo glutino, circumuoluto, ſorba, meſpila, corna, vt facile in farinam moli queãt, quin etiam & lepuſculi, & lupinum iecur, eodem modo torreri ſolent: hoc quidem ad hydropicos, illi ad nephriticos affectus. Aſſantur & alia feruenti bus cineribus obducta, vt dracunculi, aſphodeli, & ari radices, nux myriſtica, & alia pleraque. Atqui meminiſſe quoque oportet, quòd ſicut, quæ raręʹ, tenuiſſimæque ſunt ſubſtantiæ, & ſuperficietenus vires ſortitæ ſunt, decoctionem longam non ſuſtinent, ſic neque longam aſſationem.

De

De vstione. CAP. XXII.

VRuntur de industria medicamẽta pleraque, vel vt reddantur ſicciora, friabilioráque quò facilius conteri queant, vel vt eſſentiæ craſſitudinẽ deponant, & tenuitatem acquirant, vel vt vis quædá à noſtro curandi ſcopo aliena in eorum ſuperficiẽ trahatur, & dein de lotione auferatur, vel vt nouum aliquem calorem induant, vel vt in aliam ſe permutent ſpeciem. Cæter úm quæ vruntur, vt facilius teri læuigaríque poſſint, ſunt ſicut purpurarum, buccinorum, oſtreorum, cochlearúmque putamina, vngulæ, cornua, oſſa, lana, pili, & coria quorundam animalium, quæ vel ſua terrena conſiſtentia, atque concreta denſitate, vel ſuo ipſius lentore, ac humiditate, vſui eſſe nõ poſſunt, niſi prius vrantur. Hac enim ratione vngulæ aſininæ, atque humani capitis os ad epilepticos vruntur, atque eadem ratione ceruorum cornua, oſtreorum, & purpurarum putamina, ad dentifricia, oculorum cicatrices, & ad carnis excreſcentias cohibendas, vlceráque cicatrice obducenda, cremari iubemus. Quæ autem vruntur, vt exuta ſua ipſius eſſentiæ craſſitudine, tenuiorem acqui-

rant ſubſtantiam, ſunt ferè omnia metallica, medicamenta, quæ quãuis vſtione acriora, mordaciora, atque erodentia euadant, diligenter tamen deinde lota, mitia admodum redduntur, atque omnis eroſionis expertia, & longè magis ſiccantia. Id quod in calce atque in aliis nonnullis quotidie experimur. Cornu itẽ ceruinum vſtum, longè magis terget, quàm crudum. Eadẽ de cauſa vruntur oſtracodermorum putamina, nempe non modò, vt teri facilius poſſint, ſed vt tenuioris fiant ſubſtãtię, & cogendi facultatem deponant. Porrò quæ comburuntur, vt quædam à noſtro ſcopo aliena in ſuperficiem trahãtur, & deinde lotione tollantur, ſunt ſicut cadmia & hęmatites lapis. Nanque hęc ſæpe vruntur, reſtinguntúrq; in vino, aut melle, aut butyro, atq; diu lauátur ad varios oculorum affectus. Quæ verò vruntur, vt nouũ colorem acquirãt, ſunt ſicut ęrugo, cerusſa, auripigmẽtum. Hoc enim ruberrimũ pellucidúmque euadit, cerusſa verò in rubrũ, vulgaréque miniũ tranſit, ærugo autẽ aut nigro fit colore, aut ęris modo flaueſcẽte. Poſtremò quæ vruntur, vt in aliam tranſeant ſpeciem, ſunt veluti ſal quod

ex

ex viperis vſtis conficitur, quin etiam illud, quod ex nitroſarum plantarum cinere à peritis artificibus confici ſolet, vel ex vſto chalcantho oleum, vel ex vſto ſtibio vitrum, alterius, ac longè valentioris facultatis, quàm ſtibium crudum. Præterea vrendi modus non omnibus eſt vnus. Nam quæ humore, & præſertim pingui ſunt prædita, per ſe vruntur, vt pili, lana, corium, cornua vngulæ oſſa, hirundines, & aues aliæ quædam, lepuſculi ex vtero matris exempti, aliáque nonnulla pedeſtria. Quæ omnia in olla fictili noua cooperculo foraminulento tecta, argilla circumquaque obducto, vrenda ſunt, præſertim cùm cinefacta diſperdi poſſint: Quæ verò etiam vſta integra manent, vt vngulæ, oſſa, cornua, tametſi viuis carbonibus tradi poſſunt, vruntur tamen longè melius in fictili crudo operculo vndequaque argilla agglutinato, & in figulorum fornace collocato. Herbæ autem comburi omnino non debent, niſi quis velit ex cinere ſal conficere, ſiquidem ad alios vſus præſtabit eas eò vſque torrefacere, quò in puluerem conteri queunt. Nam, Galeno teſte, corrumpitur, ac

Lib.5. ca. 9. de cōp. med. s. locos. vilescit herbarū vis, si diutius torreantur. Atqui metallica, nempe æs, plumbum, argēti spuma, molybdena, helcysma, alio omnino opificio indigent, vt lib.5. de medica materia docet Dioscorides. quò qui diffusius hæc addiscere cupiunt, se conferre poterunt.

Cæpa decocta,& in cibum ſumpta.
Sinapi deraſo capiti appoſitum.
Spondilium ſuffitum, & ex oleo capiti illitum.
Peucedanum cum aceto,& roſaceo inunctum.

MATTHIOLI.

Nardus Italica
Lauendula } cum pota, tũ illita.
Cinnamomi vulgaris ſtillatitia aqua pota.
Balſami factitij aqua, ſecundarius liquor,& oleum inunctum.
Siſymbrij ſuccus ex aceto illitus.

Caryophylli flores ſaccharo conditi & deuorati.

Agaricum potum cum purgante medicamento.

Oleum è floribus,& foliis hyſſopi paratum,& illitum.

Stęchas addita ſcilla aut ei⁹ aceto pota

Dictãnus alb⁹ quomodolibet adhibit⁹.

Saluia tam in potionibus quàm in fomentis vſurpata.

Saccharum è floribus ſaluiæ paratum.

Gattaria & bibita & fotu adhibita.

Amaracus introrſum, & extrorſum accepta.

Imperatoriæ radix quoquomodo vſurpata.

Roſmarinum, vel ſaccharũ ex eius floribus paratum.

Euphorbium occipiti affrictum.

Chamædrys in potionibus addita.

Quinta eſſentia noſtra lib.5. comment. de vino deſcripta tum pota, tum naribus iniecta

DIOSCORIDIS.

Ad ſomnum conciliandum.

Iris Illyrica pota.

Ammonium fronti illitum.

Amygdalæ amaræ deuoratæ.

Viticis ſemen potum.

Lactuca

Lactuca in cibum ſumpta.
Aloe illita per ſeſe, vel ex roſaceo.
Baccharis odorata.
Iunci Aethiopici ſemen potum.
Papaueris erratici quinque, ſéxue capita in vini ciathis tribus ad dimidiũ decocta, & potui data.
Hyoſcyami ſemen potum, ac appoſitum.
Solani ſomnifici radicũ cortex drachmæ pondere in vino potus.
Mãdragoræ radicis ex vino decoctum cyathi vnius menſura potum.
Mandragoræ poma olfacta naribus.
Mandragoræ liquor ſedi pro balano ſubditus.

MATTHIOLI.

Arborei, lapideíue muſci dilutũ ex vino paratum potum.
Salicis recentia folia in lotionibus addita.
Perſicorum nucleorum cremor fronti, & temporibus adhibitus.
Amygdalæ dulces cum roſacea aqua illitæ.
Lactucæ ſuccus ex roſaceo fronti, & temporibus illitus.
Corallium potum.

DIOSCORIDIS.

Somnia terribilia faciunt

Fabæ
Lentes } in cibum acceptæ,
Picnocomi semẽ comæ drachmæ pondere potum.
Smilacis læuis semen cum dorycnio potum ternis singulorum obolis

MATTHIOLI.

Phasioli in cibum sumpti.

DIOSCORIDIS.

Sternutamenta cient.

Sinapi semen tritum, & naribus admotum.
Ptarmicæ flores admoti.
Struthij radix trita, admota.
Ranunculi radix sicca, & in puluerem trita, naribus indita.
Daphnoides naribus indita.
Veratri albi radix trita & imposita.

MATTHIOLI.

Piper tritum naribus inditum.
Cyclamini radix indita.

DIOSCORIDIS.

Ad vertiginosos.

Balsami semen per se potum.

Peucedanũ ex aceto,& rosaceo illitũ.

Galbanum olfactum.

Brioniæ radix pota per continuum an. quotidie drachmæ pondere.

Vitis nigræ viticulæ primæ recentes decoctæ & in cibis acceptæ.

Vinum } Scillinum potum.
Acetum }

MATTHIOLI.

Cinnamomi vulg. stillatitia aqua pota.

Balsami factitij primus, secundus, & tertius liquor inunctus.

Mumia ex amaraci aqua narib. ĩmissa.

Cochleæ cum suis testis tritæ & aceto potæ.

Scorzoneræ radix, aut succus potus.

Caryophyllorum flores saccharo asseruati, & frequenter deuorati.

Cubebarum grana quinque quotidie sumpta.

Agaricum potioni infrictum, & pro sapone vsurpatum.

Saluia tam in potu, quàm in fomentis sumpta.

Saccharum Saluiæ floribus paratum.

Gattaria potui data, & forinsecus illita.

Amaracus tum pota, tum illita.
Imperatoriæ radix in potiones, & localia medicamenta adhibita.
Senæ decoctum, vel dilutum potum.
Rosmarinũ quocunq; modo vsurpatũ.
Saccharum è floribus Roris marini paratum.
Sagapenum in potu sumptum, & exterius inditum.
Chamædrys quoquo modo vsurpata.

DIOSCORIDIS.

Ad comitiales.

Cardamomum ex aqua potum.
Cancamum per se potum.
Balsami semen haustum.
Bitumen Naphtha suffitum comitiales deprehendit.
Populi nigri semen ex aceto.
Ficus siccæ in cibum acceptæ.
Conculæ Indicæ suffitæ excitant.
Coagulum leporinum potum.
Mustelæ ventriculus coriandro infarctus inueteratúsque, deuoratus.
Mustelæ eiusdem sanguis potus.
Asininũ iecur tostũ in ieiuno sumptũ.
Vngula asini combusta pota.
Equorum lichenes triti, & ex aceto hausti.
Lapis in hyrundinum pullorum primæ

fæturæ vẽtriculo inuentus pro amu
leto in cerui aluta ſuſpenſus.
Serũ lactis potũ quouſq; aluum citet.
Phocæ coagulum bibitum.
Vrſinum fel ad lingendum datum.
Teſtudinis fel naribus inditum.
Teſtudinis terreſtris ſanguis potus.
Ciconiæ fimum ex aqua potum.
Plantago cum lenticula decocta in ci-
bis ſumpta.
Sinapi tritum naribus inditum.
Piper diu manſum.
Scilla hauſta.
Agaricus drachmæ pondere cum oxy-
melite hauſtus.
Eryngij radix ex dulci aqua ebibita.
Rutæ ſylueſtris ſemen potum.
Seſelis Maſſiliẽſis radix, & ſemẽ potũ.
Peucedanum ex aceto, & roſaceo capi-
ti inunctum.
Sagapenum potum.
Laſerpitij liquor cũ aceto mulſo bibit⁹
Ladanum olfactum.
Ammoniacum in eclegmate cum mel-
le datum.
Trifolij ſemen, & folia data.
Coniza cum aceto bibita.
Anthyllis altera ex oxymelite pota.
Betonicæ folia hauſta.
Quinque

Quinquefoliũ triginta diebus hauſtũ.
Papaueris ſpumei ſemen cum mulſa aqua potum.
Veratrum nigrum potum.
Hippopheſti ſuccus trium obolorum pondere hauſtus.
Vitis alba drachmæ pondere anno toto quotidie hauſta.
Vitis nigræ viticulæ primæ virentes coctæ, & in cibis ſumptæ.
Acetum mulſum potum.
Vinum, & acetum ſcillinum potum.
Selenites lapis tritus ebibitus.
Ætites lapis cũ Cyprino vnguento aut gleucino, vel alio excalfaciẽte illitus.
Cotes naxia pota.

MATTHIOLI.

Nardus Italica.
Lauendula.
Aſarina, & eius decoctum potum.
Cinnamomi vulgaris ſtillatitia aqua pota.
Balſami factitij liquor omnis illitus.
Mumia ex amaraci aqua naribus immiſſa.
Cranium humanum potum.
Leporis coagulum cum aceto bibitũ.
Lapis in felle bubulo inuẽtus tritus lẽtis quãtitate, & in errhynis additus.

Aqua ſtillatitia humani ſtercoris pota.
Scorzoneręradix,aut eius ſuccus pot9
Caryophyllorum flores ex betonicæ, aut amaraci decocto poti.
Iidem ſaccharo aſſeruati frequenter deuorati.
Cyclaminus in potione, vel clyſmate infuſus, aut eius ſuccus in errhinis additus.
Agaricum potioni ingeſtum.
Ariſtolochia rotunda.
Hyſſopum quoquo modo ſumptum.
Stęchas cũ ſcilla aut ei9 aceto vſurpata
Dictamnus albus.
Saluia tam pota,quàm trita adhibita.
Amaracus quouis modo vſu veniat.
Galãgæ ſuccus ſeſcũciæ põdere potus.
Imperatoriæ radix in potionib.addita.
Senæ dilutum,vel decoctum potum.
Roſmarinum, vel ſaccharum ex eius floribus paratum.
Sagapenum deuoratum.
Quercini viſci lignum in tenuiſſimum puluerem redactum, & diebus quadraginta potum.
Vincetoſſici radices tritæ vnà cũ pæoniæ ſemine.
Cardui benedicti decoctum, aut ſtillatitia aqua pota.

Cham

Chamędrys in potionibus addita.
Filipēdulę radicis puluis cibo ĩſperſus.
Palmæ Chriſti ſeminis puluis drachmæ pondere ex vino potus.
Eiuſdem radicum decoctum diutius vino miſtum potum.
Pæonia Galeni collo ſuſpenſa.
Pæoniæ ſemina filo traiecta, & collo circumligata.
Hyperici florẽtis aqua ſtillatitia pota.
Chamępitys decoctũ ex rhodomelle,& oxymelite diebus pluribus potum.
Ellebori nigri dilutum potum.
Colocynthis in catapotiis addta aut in potionibus.
Quinta eſſentia noſtra lib.5.comment. de vino deſcripta hauſta.
Acetum ſcillinum frequẽter hauſtum.
Stibium noſtrum proprio comment. deſcriptum.
Coralliũ tam ſuſpenſum,quàm bibitũ.

MATTHIOLI.

Ad obliuioſos,& deperditam memoriam.

Anacardia.
Quinta eſſentia noſtra lib.5. cõmen.de vino deſcripta frequenter vſurpata.

DIOSCORIDIS.

Ad Apoplexiam.

Vitis albæ radix cõtinuo anno drach-

mæ pondere hausta.

MATTHIOLI.

Nardi Italicæ } stillatitia aqua
Lauendulæ } pota. [pota.
Cinnamomi vulgaris aqua stillatitia
Balsami factitij liquor primus, secundus, & tertius illitus.
Agaricum in potu sumptum, aut in catapotiis deuoratum.
Quinta essentia nostra lib. 5. comment. de vino descripta pota.

DIOSCORIDIS.

Ad Phrenesim.

Vnguentum crocinum perfusum, aut naribus illitum.
Vitex aceto, & oleo instillatus.
Asparagus in vino albo potus.
Serpyllum cum aceto, & rosaceo impositum.
Spondilium suffitum, impositum, & capiti ex oleo inunctum.
Peucedanũ ex oleo, & rosaceo inunctũ.

MATTHIOLI.

Maluæ succus octo vnciarum pondere potus.
Solani hortensis tum foliorum, tum baccharum succus sincipiti cum linteolis superpositus.
Borraginis, aut buglossi stillatitia aqua

DIOSCORIDIS.

Ad cerebri inflammationes quas Syriasim vocant.

Cucurbitæ ramenta ſincipiti appoſita.
Peponis ramenta ſincipiti adhibita.
Heliotropij folia fronti admota.
Acetum fronti illitum.

MATTHIOLI.

Agaricum potui datum.
Santala omnia ex aceto, roſaceo, & caphuræ momento illita.

DIOSCORIDIS.

Ad melancholiam.

Ocimi ſemen
Veratrum nigrum } potum.
Betonicæ folia ebibita.
Epithymum hauſtum.

MATTHIOLI.

Poma dulcia.
Citria mala.
Santalum omne.
Maluæ ſuccus vnciarum ſex pondere potus.
Scorzoneræ radix aut eius ſuccus bibitus.
Agaricum ſumptum.
Thymus drachmarum duarum pondere ex oxymelite potus.
Senæ decoctum, vel dilutum potum.

Vincetoſſici radices tritæ cum ocimi ſemine, aut cum citrei mali cortice aut cum margaritis hauſtæ.
Meliſſophyllon quocunque modo frequenter potum.
Aſplenij decoctum hauſtum.
Borraginis, aut bugloſſi decoctum ex vino, aut ex aqua paratum potum.
Ellebori nigri dilutum ebibitum.
Sirupus è polypodio, & præſertim ad hypocondriacam, vide lib. 4. cõmen. de polipodio.
Acetum ſcillinum hauſtum.
Quinta eſſentia noſtra lib. 5. comment. de vino deſcripta, pota.
Stibium noſtrum quatuor granorum pondere hauſtum.
Argentum viuum præcipitatum octo granorum pondere bibitum.
Aurum.
Corallium.
Margaritæ.
Oleum è lapide gagate tum potũ tum illitum.

DIOSCORIDIS.

Ad crapulam, ebrietatemq; tollendam.

Crocum ex paſſo præſumptum.
Punicorũ malorũ ſuccus } hauſtus.
Myrti baccharum ſuccus } hauſtus.

Braſſi

Brassica summo cibo sumpta.
Absinthium præsumptum.

MATTHIOLI.

Acetum testiculis cum linteolis adhibitum.
Croci florum stillatitia aqua pota.
Amygdalæ amaræ sex ante potum deuoratæ.

DIOSCORIDIS.

Ad capitis fluxiones.

Vnguentum irinum naribus illitum.
Styrax illita suffitáque.
Bitumen naphtha suffitum
Cinnamomum potum.
Mei radices tritæ cum melle eclegmate deuoratæ, vbi fluxio pectus afficiat.
Nuces auellanæ tostæ, & cum exiguo piperis potæ.
Dracunculi maioris radix tosta vel elixa deuorata.
Tragacantha in eclegmate cum melle sumpta.
Hyssopum cum ficu, ruta melléque ex aqua decoctum potum.
Helichrysij coma trium oboloruũ pondere in vino diluto pota.
Hyoscyami semen oboli pondere, addito papaueris semine haustum.

MATTHIOLI.

Iuniperinum gummi ſuffitum, & capiti inſperſum.

Santalum rubrum capiti inſperſum.

Caryophylli aromatici ſuffiti fumo naribus excepto.

Agaricum in potionibus additum.

Roſmarinum.

DIOSCORIDIS.

Ad cerebrum roborandum.

Agallocum potum.

MATTHIOLI.

Cubebæ deuoratæ.

Cinnamomi vulgaris ſtillatitia aqua pota.

Balſami factitij vnuſquiſque liquor illitus.

Moſchus.

Zibetum.

Ambarum.

Caryophyllorum puluis capiti inſperſus.

Caryophylli flores ſaccharo conditi frequenter deuorari.

Stœchas.

Menta græca.

Saluia.

Sena

Sena in capitis perfuſionibus addita.
Roſmarinum atque ſaccharum ex eius floribus paratum.
Caryophyllatæ radix olfacta.
Rhodia radix olfacta, vel quomodolibet vſurpata.
Quinta eſſentia noſtra commento de vino deſcripta.

DIOSCORIDIS.

Ad capitis vlcera manantia.

Thus cum nitro confricatum.
Fici, & caprifici lacteus ſuccus cum polenta appoſitus.
Vrina inueterata appoſita.
Fœnum Græcum appoſitum.
Cicer adhibitum.
Malua ex vrina humana emplaſtrata.
Allij cinis ex melle inunctus.
Cyclamini decoctum fomenti modo adhibitum.
Bulbi cum cremato nitro adhibiti.
Melilotus ex aqua cum creta chia, vinóque aut galla inuncta.
Rubi folia impoſita.
Lilij cremata radix ex melle adhibita.
Adianthum in lixiuio decoctum.
Acida muria inſperſa.

MATTHIOLI.

Hederæ helicis folia in pileum consuta,& capiti imposita.

Centaurij minoris succus illitus.

Mentha illita.

NERVORVM.

DIOSCORIDIS.

Ad conuulsionem.

Iris Illyrica ex aceto pota.

Acori decoctum bibitum.

Cardamomum ex aqua potum.

Iunci odorati radicis drachma vnà cũ pari pondere piperis per dies aliquot data.

Costus ex vino,& absinthio exhibitus.

Balsamum ex aqua haustum.

Helenium ex melle in eclegmate exhibitum.

Vnguentum sampsuchinum more cataplasmatis appositum.

Vnguentum metopium illitum.

Bdellium illitum.

Iuniperi baccæ bibitæ.

Cedrides deuoratæ.

Halimi radix drachmæ põdere in aqua mulsa hausta.

Ficulneus cinis ex oleo illitus.

Erinacei terrestris caro in cibũ sumpta.

Caſtoreum inunctum,& potum.
Serpyllum potum.
Fimum caprinum cum aceto bibitum.
Dracunculi radix toſta, & elixa deuorata cum me lle.
Aſphodeli radix drachmę pődere pota.
Capparis ſemen potum.
Capparis cortex pariter hauſtus.
Argemone emplaſtrata.
Agaricus ſumptus trium oboloru͂ pondere cum mulſo.
Rhaponticum potum.
Galbanum deglutitum.
Gentianæ radix drachmę pődere pota.
Ariſtolochia rotunda pota.
Centaurij maioris radix ex vino pota.
Spinæ albæ ſemen potum.
Acanthij radices potæ.
Abrotoni ſemen cum aqua potum.
Leucocáthæ radicis ex vino decoctum hauſtum.
Origanum eſtum cum fico.
Eringij radix pota cum aqua mulſa.
Pulegium cum poſca potum.
Calaminthæ decoctum hauſtum.
Baccaris radix in aqua decocta,& pota.
Panaces herculeum linitum.
Libanotis radices cum loliacea farina emplaſtratæ.

Peuce

Peucedanũ ex aceto, & rosaceo inũctũ.
Clinopodium bibitum.
Chamædrys decoctum epotum.
Laser oboli põdere datum,& deuoratũ.
Sagapenum potum.
Galbanum deuoratum.
Betonicæ folia denarij pondere cum hydromelite data.
Xyridis radix ex passo bibita.
Symphytum ex aceto mulso bibitum.
Psyllium illitum.
Serpyllum potum aut illitum.
Verbasci decoctum bibitum.
Brioniæ eclegma ex melle.
Vinum scillinum haustum.
Vinum chamædrytes bibitum.
Vinum tragoriganites bibitum.
Satyrij radix ex vino nigro austero bibita.
Coris ex vino pota.

MATTHIOLI.

Oleum irinum inunctum.
Nardus Italica.
Lauendula.
Cinnamomi vulgaris stillatitia aqua pota.
Balsami factitij liquores omnes.
Helenij radicis farina.
Oleum nucum inunctum.
Mumia tum foris, tum intus vsurpata.
Oleum

Oleum ex ſemine lini illitum.

Cyclaminus in potione ſumptus vel clyſtere infuſus, aut in errhynis additus.

Agaricum potu vſurpatum.

Oleũ è florib.& foliis hyſſopi paratũ.

Stœchas in balneis, fomentis, & laconicis addita.

Pulegij decoctum tum potum, tum fotu adhibitum.

Saluia tam potu quàm fotu vſurpata.

Gattaria.

Amaracus.

Imperatoriæ radix.

Euphorbium ex Leucoij oleo illitum.

Vnguẽtum è viſci in pyro naſcẽtis ſylueſtri foliis,& recẽti cappi pinguedine paratum, vide viſci commento.

Chamędrys in fomẽtis,& vnguẽtis ad-

Liliorum alborũ oleũ illitum. (dita.

Cannabis radix decocta,& deinde tuſa & illita.

Colocynthis in catapotiis addita.

Stibium noſtrum quatuor granorum pondere ſumptum

Oleum è lapide gagate illitum.

MATTHIOLI.

Ad ſtuporem.

Cinnamomi vulgaris ſtillatitia aqua pota. Bal

Balſami factitij liquores omnes.
Oleum ſinapinum.
Nuclei pinei frequenter deuorati.
Oleũ è foliis, & floribus hyſſopi illitũ.
Stœchas in balneis, laconicis, & fomentis addita.
Pulegij decoctum.
Saluia tam intus ſumpta quàm exterius admota.
Amaracus.
Imperatoriæ radix.
Roſmarinum.
Euphorbium ex leucoij oleo exterius illitum.
Chamædrys.
Chamępithys decoctum ex rhodomelle potum.
Quinta eſſentia noſtra commento de vino deſcripta tam pota quàm illita.

DIOSCORIDIS.

Ad Paralyſim.

Peucedanũ ex aceto,& roſaceo inũctũ.
Capparis ſemen,& cortex potus.
Sagapenum potum.
Rubiæ radix hauſta.
Colocynthis clyſtere perfuſa.
Vitis nigræ viticulæ primæ recentes coctæ comeſtæque.
Vinum ſcillinum hauſtum.

MATTHIOLI.

Iridis radices conditæ deuoratæ.
Nardus Italica.
Lauendula.
Asarina per se aut eius decoctum potũ.
Cinnamomi vulgaris stillatitia aqua pota.
Balsami factitij liquores omnes illiti.
Helenij radicis farina bibita.
Oleum sinapinum inunctum.
Nuclei pinei frequenter deuorati.
Mumia ex amaraci aqua illita.
Iuglandium oleũ illitum cũ calce lota.
Anacardia.
Castoreum cum mulsa potum.
Flores caryophylli ex betonicæ, aut amaraci decocto poti.
Iidem saccharo asseruati, & frequẽter deuorati.
Cyclaminus in potiõe, vel clysteri sumptus aut eius succ. in errhinis additus.
Agaricum in catapotiis, aut potione sumptum.
Oleum è floribus, & foliis hyssopi paratum inunctum.
Stœchas in balneis laconicis, & fomentis addita.
Pulegij decoctũ tum haustũ tũ fotum.
Saluia tã potione q̃ fomẽtis vsurpata.

Gattaria.
Amaracus.
Imperatoriæ radix.
Senæ decoctum, vel dilutum.
Euphorbiũ ex leucoij oleo exterius illitum.
Chamædrys.
Oleum liliorum alborum.
Bellidis genera omnia.
Hyperici florẽtis stillatitia aqua pota.
Chamæpitys decoctũ ex rhodomelle, & oxymelite potũ pluribus diebus.
Conditum, & pilulæ contra neruorum resolutionem, vide chamępitys commentarium.
Colocynthis in catapotiis addita.
Quinta essentia nostra lib. 5. comment. de vino descripta, pota & illita.
Stibium nostrum quatuor granorum pondere sumptum.
Oleum è gagate lapide inunctum.

DIOSCORIDIS.

Ad tremorem.

Cerebrum leporinum tostum comestũ.
Castoreum potum, & inunctum.
Brassica in cibis sumpta.
Althææ decoctum potum.

MATTHIOLI.

Cinnamomi vulgaris aqua ſtillatitia pota.

Balſami factitij liquor, & oleum.

Nuclei pinei frequenter deuorati.

Saluia tum pota, tum fotu vſurpata.

Amaracus.

Imperatoriæ radix.

Chamædrys.

Chamæpitys decoctum cum rhodomelle hauſtum.

Quinta eſſentia noſtra tam pota quàm illita, parandi rationem habes lib. 5. comment. de vino.

DIOSCORIDIS.

Ad fluxiones.

Farina tritici cum Apollinaris herbæ ſucco appoſita.

Farina hordæi ex aceto adhibita.

DIOSCORIDIS.

Ad ægritudines, & dolores.

Oleum ſicyonum inunctum.

Oleum laurinum illitum.

Elæomeli illitum.

Vnguentum Cyprinum }
Vnguentum Gleucinum } inunctum.
Vnguentum Metopium }
Vnguentum Amaricinũ }

Bdellium malagmati inſertum.
Lixiuium ex cinere ficus, ex oleo illitũ.
Caſtoreum potum, & illitum.
Erinacei terreſtris caro deuorata in cibis.
Viperinæ carnes decoctæ, & eſui datæ.
Poterij radicis decoctum potum.
Peucedanũ ex aceto, & roſaceo illitũ.
Laſer oboli pondere deuoratum.
Centaurium minus ebibitum.
Lilij radix inaſſata melléque excepta impoſita.
Satyrij radix ex vino nigro auſtero pota.
Althææ radix per ſe, vel decocta in vino aut aqua mulſa emplaſtri modo impoſita.
Coccum infectorium cũ aceto illitum præciſos iuuat neruos.
Senecij folia ad eadem præſtant illita.
Narcyſſi radix illita ad eadem vtiliter imponitur.
Hypopheſti ſuccus trium obolorum pondere potus.
Aqua marina perfuſa.
Acetum ſcillinum potum.
Vinum de ſtœchade hauſtum.
Vinum de thymo potum.
Seſamum illitum craſſitiem iuuat.

MATTHIOLI.

Oleum larignæ resinæ, vel terebinthinæ illitum.

Nuclei pinei frequẽter ĩ cibis vsurpati.

Terebinthina resina. Larigna resina. Abiegna resina.	deuorata cum chamæpithi.
Nucis Indicæ. Nucis Myristicæ.	oleũ tum potũ tum illitum.

Fabarum caulium, & siliquarum cinis cum vetere axungia illitus.

Stœchas in balineis, fomentis, laconicis addita.

Pulegium.

Amaracus.

Aiuga.

Cortusæ herbæ flores in amygdalino oleo recẽter presso, & rosaceo completo pari pondere commisti diu insolati & illiti.

DIOSCORIDIS.

Ad neruorum vulnera.

Cochleæ terrestres tusæ & impositæ.

Terreni vermes tusi, & illiti

Butyrum illitum.

Senecionis folia emplastri modo imposita cum thuris manna.

Dracunculi minoris folia illita,

Poterij radix tusa, & illita.

Lilij radix ex melle ſubacta,& illita.
Coccum infectorium cũ aceto illitũ.
Narciſſi radix illita.

MATTHIOLI.

Balſamum factitium impoſitum.
Terebinthinæ, Lariceæ, Abiegnæ } reſinæ oleum.
Abiegna lachryma.
Iuglandium oleum.
Cochlearum caro cum farinæ polline impoſita.
Oleũ è terrenis vermibus addito præſertim factitio balſamo, aut oleo è terebinthina confecto.
Hyperici oleum.
Oleum è fructu momordicæ illitum.

MATTHIOLI.

Ad contractionem & duritiem.

Muris montani pinguedo illita.
Taxi pinguedo inuncta.
Oleum ex ouorum vitellis perunctum.
Ceruina,& vitulina medulla.
Oleum ex lini ſemine.

MATTHIOLI.

Ad contuſiones.

Cochlearum terreſtrium caro cũ fari-

næ polline impoſita.
Farina fabarum cũ oxymelite ſubacta.
Dracunculi radix cum melle, & caprino fimo illita.

DIOSCORIDIS.

Ad neruorum craßitiem.

Seſamum emplaſtri modo impoſitum.
Sarmentitius cinis cum axungia vel oleo illitus.

OCVLORVM.

DIOSCORIDIS.

Ad palpebrarum defluuium.

Nardi Indicę decoctum fotu adhibitũ.
Cochleæ terreſtres acu traiiciuntur, vt effluat humor, quo poſtea palpebræ illinuntur.
Oeſipus illitus.
Condrillæ gummi, ac pariter lac impoſitum.
Lapis armenius illitus.

DIOSCORIDIS.

Ad palpebrarum, oculorúmque ſcabritiem.

Thuris cortex toſtus, & appoſitus.
Piſcis fuligo illita.
Licium appoſitum.
Sepiæ os læuigatum, & illitum.

Fel { Marini ſcorpionis / Marinæ teſtudinis / Perdicis / Aquilæ / Gallinæ albæ / Sylueſtris capræ } illitum.

Sinapi tritum ex melle inunctum.
Omphacium impoſitum.
Squama æris illita.
Rubigo ferri illita.
Chalcitis inuncta.
Hęmatites lapis melle exceptus adhibitus.

DIOSCORIDIS.

Ad palpebrarum fluxiones.

Amaraci folia cum polenta illita.
Alſine cum polenta impoſita.
Ricini folia cum polenta trita, & emplaſtri modo adhibita.

DIOSCORIDIS.

Ad palpebrarum craßitiem.

Mitulorum cinis plumbi modo lotus, & illitus.
Conchulæ Indicæ cinis inunctus.

DIOSCORIDIS.

Ad palpebrarum ſcabiem.

Cæpæ ſuccus cum pario ſpodio impoſitus.

Aloe

Aloe illita.
Fici lac inunctum.

MATTHIOLI.

Tragacanthæ lachryma lacte macerata & illita.
Sagapenum cum aceto ſuperpoſitum.

MATTHIOLI.

Ad palpebrarum inflammationes.

Ouum gallinaceum crudum admiſto roſaceo impoſitum.
Solani Halicacabi baccæ muſto dilutę & impoſitæ.
Lentis paluſtris ſtillatitia aqua illita.
Borraginis vulgaríſque bugloſſi ſtillatitia aqua adhibita.

DIOSCORIDIS.

Ad oculorum albugines.

Opobalſamum illitum, inſtillatúmq;.
Cancamum vino maceratum, & impoſitum.
Myrrha illita.
Bitumen naphtha impoſitum.
Miculorum cinis plumbi modo lotus, & illitus.
Conchulę Indicæ cinis oculis inditus.
Cochlearum putaminũ cinis melle exceptus linitus.
Marini ſcorpionis fel inſtillatum.
Idémque præſtat fel teſtudinis, perdi-

cis, aquilæ, gallinæ albæ, & ſylueſtris capræ.
Vrina humana æreo vaſe decocta illita.
Lactucę ſylueſt. lacte' ſucc' inſtillatus.
Dracunculi ſuccus immiſſus.
Cæparum ſuccus perfuſus.
Gingiber illitus.
Chamæſyces ſuccus cum melle munitus.
Argemones folia impoſita.
Ammoniacum impoſitum.
Horminium ex melle impoſitum.
Loti domeſtici ſuccus ex melle illitus.
Sal impoſitum.
Salis flos eodem modo adhibitus.
Sapphyrus lapis appoſitus.
Aeris ſquama impoſita

MATTHIOLI.

Moſchus impoſitus.
Radix ebeni trita, & cũ aqua inſtillata.
Muſtellarum crematarum cinis oculis iniectus.
Chamęleontis dexter oculus viuo animali erutus, & cum caprino lacte miſtus.
Hieracij ſuccus iniectus.
Cẽtaurij minoris ſuccus cũ melle illit'.
Sagapenum rutæ ſucco,& auium rapacium felle diutius maceratum, & in

collyriis

collyriis additum.
Sarcocolla in cratere vitreo aſinino lacte quinque diebus macerata & deinde inſtillata.
Scabioſæ ſuccus cum chryſocollæ, & caphuræ momento illitus.
Antirrhynum fronti adalligatum.
Coralli cinis in collyriis additus.

DIOSCORIDIS.

Ad oculorum cicatrices delendas.

Cancamum vino maceratum, & infuſum.
Myrrha illita.
Bitumen naphtha inſtillatum.
Cedria illita.
Cochlearum terreſtriũ cinis cum melle impoſitus.
Vrina humana ęreo vaſe decoc. infuſa.
Fœnigræci oleum cum myrto impoſitum
Sagapenum inditum.
Chamæſyces ſuccus cum melle illitus.
Aerugo immiſſa.
Vini fæx aduſta impoſita.
Corallium tritum inditum.
Hęmatites lapis immiſſus.
Sapphyrus lapis adhibitus.

MATTHIOLI.

Hieracij ſuccus inſtillatus.

Sarcocolla aſinino lacte macerata inſtillata.

DIOSCORIDIS.

Ad oculorum nubeculas.

Acori ſuccus inſtillatus.

Caſia aliis medicamentis ocularibus excepta, & iniecta.

Cinnamomum impoſitum.

Ceraſi gummi inditum.

Acacalis dilutum ad collyria additur, quæ oculis claritatem faciunt.

Acaciæ ſuccus elotus, & infuſus.

Punicorum malorum cytini tres quan tumuis minimi deuorati anno ab omni lipitudine præſeruant.

Thus immiſſum.

Crocomagma illitum.

Ebeni tenuiſſima ramẽta vino optimo macerata, & in collyria addita.

Lycium inditum.

Cedria inuncta.

Pruni arboris gummi illitum.

Viperæ caro decocta, & in cibis ſumpta.

Hirundines ficedularũ modo in cibis deuoratæ.

Cinis hirundinum collyriis adhibitus.

Adeps piſcium inunctus.

Fœniculi ſuccus infuſus

Fel

Marini ſcorpionis.
Fel { Marinæ teſtudinis. Perdicis. Aquilæ. Galinæ albæ. } infuſum.
Sylueſtris capræ.
Vrina humana æreo vaſe decocta inſtillata.
Lactucæ ſylueſtris lacteus ſucc⁹ illitus.
Dracunculi ma.radix ſuccus inunctus.
Cæparum ſuccus inditus.
Loti domeſtici ſuccus infuſus.
Hirundinariæ mai. ſuccus æreo vaſe cum melle decoctus inunctus.
Othonnæ ſuccus inſtillatus.
Centaurij minoris ſuccus impoſitus.
Ruta in cibis ſumpta.
Omphacium inſtillatum.
Panaces Heracl.inunctum.
Libanotis foliorum , & radicis ſuccus cum melle infuſus.
Laſer ex melle inunctus.
Apiaſtri ſuccus cum melle inditus.
Marrubij ſuccus ex melle illitus.
Pumex indita.
Salis flos immiſſus.
Vini fæx cremata impoſita.
Pyrites lapis inditus.
Thyites lapis impoſitus.

Geodes lapis impoſitus.
Sapphyrus lapis impoſitus.

MATTHIOLI.

Viperæ totius cum thure, & ſucco fœniculi combuſtæ cinis per ſe inſperſus, aut collyriis additus.
Leporinum fel ſaccharo exceptum, & illitum.
Muſtellarum fel cum fœniculi ſucco inſtillatum.
Stercoris humani ſtillatitia aqua indita.
Scorzoneræ radicis lac inſtillatum.
Caroyphylli in tenuiſſimum puluerem triti, & inditi.
Chelidonij maioris ſuccus cum lacte muliebri inſtillatus.
Hieracij ſuccus inſtillatus.
Sagapenum rutæ ſucco, & auium rapacium felle diutius maceratum, & in collyriis additum.
Sarcocolla in cratere vitreo aſinino lacte diebus quinque macerata, & inſtillata.
Vinum è fragis inſtillatum.
Euphragia quouis modo intus ſumpta.

DIOSCORIDIS.

Ad oculorum vngulas.

Sepiæ

Sepiæ piſcis os tritum,& impoſitum.
Glicyrrhyzæ radicis puluis inſperſus.

MATTHIOLI.

Tragacanthæ lachryma lacte macerata,& illita.

DIOSCORIDIS.

Ad oculorum ictus, & vulnera.

Lac humanum cum thure iniectum.

Sanguis { Palumbi / Columbæ / Turturis / Perdicis } illitus.

Stœbis folia emplaſtri modo impoſita.
Hæmatites lapis cum lacte iniectus.

DIOSCORIDIS.

Ad oculorum vlcera.

Fuligo { Thuris / Terebinthinæ / Butyri } illita.

Thuris cortex impoſitus.
Myrrha iniecta.
Cornu ceruinum vſtum,& lotum impoſitum.
Amylum linitum, & peculiariter cauis vlceribus.
Stimmij iniectum.

lapis { Galactites, Sapphyrus, Samius } cum lacte infusus.

DIOSCORIDIS.

Ad erosos oculorum angulos.

Oesypum inunctum.
Omphacium illitum.
Picis fuligo imposita

DIOSCORIDIS.

Ad aegilopas, & sinus.

Iuglandum veterum nuclei triti, & illiti.
Myrti decoctum infusum.
Malua cruda commanducata cum exiguo sale adhibita.
Plantago emplastri modo imposita.
Auricula muris altera illita.
Baccharis folia emplastri modo in principio indita.
Anthemis illita.
Solani hortulani concisa folia imposita.
Eiusdem succus cum rubenti gallinarum fimo illitus.
Aegilops adhibita.
Oenanthes quinque labruscae flos impositus.
Cadmia illita.

Aeris

Æris ſquama indita.
Stimmi inditum.

DIOSCORIDIS.

Ad procidentes oculos, & vuas.

Fabarum farina cum roſis, ouorum albo & thure emplaſtri modo impoſita.
Rubi folia trita, & impoſita.
Sapphyrus lapis admotus.

DIOSCORIDIS.

Ad oculorum inflammationes.

Amomum ex vua paſſa illitum.

Fuligo { Thuris / Picis } illita.

Cupreſſi pilulæ cum polenta illitæ.
Myrti baccæ cum polline polentæ impoſitæ.
Cotoneorum malorum flores emplaſtri modo.
Caſeus illitus.
Saccharum infuſum.
Seſame herba ex vino decocta, & impoſita.
Portulaca cum polenta illita.
Intybus per ſe, & cũ polenta adhibita.
Cucurbitæ ramenta impoſita.
Anemones radix illita.
Auricula muris cum polenta emplaſtri modo adhibita.

Gentianæ ſuccus inunctus.
Abrotanum cum cydonio malo decoctum, aut pane, & emplaſtri modo adhibitum.
Melilotus cataplaſmatis addita.
Baccharis folia illita.
Sedi maioris folia impoſita.
Apium cum pane aut polenta impoſitum.
Rubi Idei flos ex melle inunctus.
Elatinæ folia cum polenta appoſita.
Papaueris liquor cum toſto oui vitello, & croco impoſitus.
Hyoſcyami ſemen & folia cum farina polentáve impoſita.
Mandragoræ folia recentia cum polenta adhibita.
Verbaſci aureum florem ferentis folia impoſita.
Aſter atticus illitus.
Violæ purpureæ folia illita.
Ricini folia cum polenta impoſita.

MATTHIOLI.

Lac muliebre vnà cum aqua roſacea in qua accenſum thus trigeſies extinctum fuerit oculis inſtillatum.
Caphura in collyriis addita.
Cochleæ in nitido mortario tuſæ vnà cum ouo gallinaceo incocto, & ex
ſuccida

ſuccida lana fronti adalligatæ.
Cyami ſuccus inſtillatus.
Hieracij ſuccus cum muliebri lacte inſtillatus.
Betonicæ folia contrita,& fronti adalligata.
Conſolidæ regalis flores triti,& ex roſacea aqua illiti.
Vinum è fragis adhibitum.
Solani hortenſis tum foliorum tum baccarũ ſuccus illitis linteolis fronti ſuperpoſitus.
Solani Halicacabi baccæ muſto dilutæ,& impoſitæ.
Lentis paluſtris ſtillatitia aqua illita.
Borraginis,& bugloſſi vulgaris ſtillatitia aqua tã extra quã intus impoſita.
Lapis Achates inſpectus.

DIOSCORIDIS.

Ad oculorum dolores.

Oui vitellus toſtus addito roſaceo, & croco illitus.
Seſame herba in vino decocta illita.
Ocimi ſuccus infuſus.
Abſinthium ex paſſo decoctũ adhibitũ.
Ruta cum polenta emplaſtri modo impoſita.
Aconiti pardalianches radix permiſcetur ocularijs medicamentis, quæ

doloribus oculorum auxiliantur.

MATTHIOLI.

Lac muliebre & aqua roſacea in qua accenſum thus trigeſies extinctum fuerit oculis inſtillata.

Caphura in collyriis addita,

Cochleæ in nitido mortario tuſæ vnà cum ouo gallinaceo incocto ex ſuccida lana fronti adalligata.

Cyani ſuccus inſtillatus.

Conſolidæ Regalis flores triti,& ex roſacea aqua illiti.

Solani hortenſis cum foliorum, tum baccarũ ſuccus illitus linteolis fronti adhibitus.

Solani Halicacabi rubẽtes baccæ muſto dilutæ,& impoſitæ.

Lẽtis palluſtris ſtillatitia aqua ĩpoſita.

Lapis Achates inſpectus.

DIOSCORIDIS.

Ad luciosos.

Iecoris { Caprini / Hircini } emanans ſuccus dũ aſſatur iniect⁹

Caprinum iecur toſtum in cibis ſumptum.

Syluestrium caprarum fel inunctum.

Sanguis { Palumbi / Columbæ / Turturis / Perdicis } illitus.

DIOSCORIDIS.

Ad suffusiones.

Fel marini scorpionis inditum.
Viperæ adeps admixto cedrino liquore, Attico melle, & vetere oleo. Galen. verò non probat.

Fel { Testudinis marinæ, Perdicis, Aquilæ, Gallinæ albæ, Capræ syluestris } illitum.

Fabarũ farina vino macerata & illita.
Cæparum succus instillatus.
Cyclamini succus infusus.
Sagapenum impositum.
Euphorbium impositum, cum cautela tamen.

MATTHIOLI.

Hieracij succus instillatus.
Polium fronti adalligatum.

DIOSCORIDIS.

Ad lippitudines.

Portulaca, & eius succus impositus.
Plantaginis succus impositus.
Sedi maioris folia illita.
Chalcitis inditus cum cautela tamen.
Spongiarum crematarum cinis illitus, & præsertim in arida lippitudine.

Hæmatites lapis tritus cum lacte iniectus.

MATTHIOLI.

Aqua rosacea in qua thus incensum trigesies extinctum fuerit instillata.
Crispini baccarum succus cum pompholige & aqua rosacea instillatus.
Margaritæ in collyriis additæ.
Bubuli fellis lapis naribus inditus.
Fœnugræci decoctum fronti illitum.
Rumicis syluestris radix luna decrescẽte effossa gestata.
Ophioglossi ex vino austero decoctum ablutione adhibitum.
Hieracij succus instillatus
Euphragia quoquo modo vsurpata.
Vinum euphragiatum vide libro 4. cap.38.

DIOSCORIDIS.

Ad oculorum caligines.

Chamædrys trita inspersa, aut ex oleo inuncta.
Loti domestici succus cum melle impositus.
Veratrum nigrum in ocularibus collyriis additum.
Flos æris inditus.

MATTHIOLI.

Phu ex vino albo decoctum, & oculis instillatum.

Vinum ex helenio paratum, frequenter potum.

Lentiscinum oleum in cibis additum.

Erucæ succus oculis infusus.

Ebenum ad cotem tritum, & cum passo inditum.

Salicis florentis succus, qui inciso cortice fluxerit instillatus.

Nux myristica commansa.

Margaritæ in collyriis additæ.

Lapis ex felle bubulo naribus inditus.

Brassicæ succus ex melle coctus, & oculorum angulis illitus.

Asparagi in cibis sumpti.

Sium in cibis deuoratum.

Scorzoneræ radicis lac instillatum.

Caryophyllorum puluis tenuissimè tritus oculis inspersus.

Hieracij succus instillatus.

Rosmarini flores recenter decerpti & cum sale, & pane quotidie deuorati toto tempore quo planta floret.

Sagapenum rutæ succo, & felle auium rapacium diutius maceratum, & in collyriis additum.

Sclareę seminis granũ in oculo delatũ

DIOSCORIDIS.

Ad oculorum hebetudinem.

Cancamũ ex vino maceratũ infuſum.
Populi albæ pilulæ quæ primo foliorũ exortu exiliunt ex melle illitæ.
Marini ſcorpionis fel inunctum.
Braſſica in cibis ſumpta.
Sinapi cum melle inunctum.
Anagallidis ſuccus naribus exceptus.
Abſinthium cum melle impoſitum.
Thymus in cibo vſurpatus.
Thymbra obſoniis accepta.
Rutæ ſuccus in malicorio feruefactus, addito fœniculi ſucco, & melle infuſus.
Rutæ ſylueſtris ſuccus cum vino, melle gallinaceo felle, & fœniculi ſucco iniectus.
Solani ſomniferi ſuccus inunctus.
Flos ſalis inditus.

DIOSCORIDIS.

Ad oculorum fluxiones.

Crocum illitum cum humano lacte.
Thus ex oui vitello impoſitũ, vel eiuſdem albo.
Thuris fuligo impoſita.
Picis fuligo illita.
Platani tenerrima folia in vino decocta, & illita.

Ebeni

Ebeni ramenta tenuiſſime trita indita.
Oleę ſylueſtris foliorũ ſuccus iniectus.
Cornu ceruinum vſtum, lotum & iniectum.
Butyri fuligo illita.
Amylum impoſitum.
Pompholix lota iniecta.
Fabæ ſine cortice commanducatæ & fronti impoſitæ.
Ocimi aquatici ſemen duarum drachmarum pondere ex quatuor mellis cyathis temperatum inunctum.
Elatinæ folia cum polenta impoſita.
Squama æris elota iniecta.
Plumbum elotum iniectum.

Galactites Morochthus Samius	} lapis cum lacte iniectus

Hyoſcyami ſeminis cremor expreſſus infuſus.
Sarcocolla infuſa.
Alumen impoſitum.
Corallium iniectum.
Pumex impoſitus.
Hæmatites lapis iniectus.

MATTHIOLI.

Moſchus in puluerem tritus & impoſitus.
Aqua florum liguſtri inſtillata.

Tragacanthæ lachryma in collyriis addita.

AVRIVM.

DIOSCORIDIS.

Ad aurium dolores.

Lauri baccarum ſuccus vino vetere, & roſaceo exceptus inſtillatus.

Populneorum foliorũ ſuccus infuſus.

Ladanum ex vino illitum.

Roſarum aridarum decoctum ex vino infuſum.

Salicis foliorũ, & corticis ſuccus cum roſaceo in malicorio feruefactus illitus.

Malorum acidorum punicorũ ſuccus cum melle coctus infuſus.

Opium cum amygdalino oleo, croco, myrrháque inunctum.

Anguium ſenecta in vino decocta inſtillata.

Millepedæ, ſiue oniſci conciſi, & cum roſaceo in malicorio calefacti infuſi.

Vulpini pulmonis adeps inſtillatus.

Vermes terreni cum anſerino adipe elixi inditi.

Anſerinus
Gallinaceus } adeps inſtillatus.
Vulpinus

Vrina { Tauri / Apri } cum myrrha cocta instillata.
Mel cum trito fossili sale impositum.
Sesami semen ex rosaceo inunctum.
Betæ succus inditus.
Plantaginis succus immissus.
Cucurbitæ ramentorum succus cum rosaceo infusus.
Dracunculi vtriusq; succus impulsus.
Porri succus cum aceto, thure, & lacte iniectus.
Sinapi succus, vel eius decoctum instillatus.
Hederæ, & eius corymborum succus cum oleo inditus.
Absinthium suffitum, & cum melle impositum.
Origani virẽtis succus cũ lacte infusus
Menthæ succus inditus.
Meliloti succus inditus.
Meliloti succus cum passo iniectus.
Rutæ succus in malicorio feruefactus infusus.
Peucedani succus cum rosaceo inditus
Aparinæ succus iniectus.
Marrubij succus cũ rosaceo impulsus.
Cannabis domesticę succus impositus.
Poligoni maris succus infusus.
Helxinæ succus inditus.

Ocimi

Ocimi aquatici ſuccus cũ ſulphure, & nitro iniectus.
Hyoſcyami cremor inſtillatus.
Solani hortenſis ſuccus impoſitus.
Alſinæ ſuccus infuſus.
Cucumeris aſinini foliorũ ſuccus inditus
Sal cum aceto iniectum.
MATTHIOLI.
Oleum Irinum inſtillatum.
Oleum hyoſcyaminum cum caſtoreo, aut croco impoſitum.
Mumia ex Leucoij oleo aut hyoſcyamino infuſa.
Oleum è nucleis perſicorum inſtillatũ.
Oleum ſcorpionum immiſſum.
Caſtorium cum mæconio infuſum.
Baccarum ſambucci ſuccus, cum melle coctus, & inſtillatus.
Oleum ex ouorum vitellis.
Oleum è colocynthide infuſum.
Gliris caro melle ſubacta, & deuorata.
Maluæ ſuccus inſtillatus.
Sonchi lacteus ſuccus è caule manans, & præſertim in malicorio cum oleo coctus, inſtillatus.
Ari ſemen tritum, vel baccarum ſuccus ex roſaceo impoſitus.
Amaraci ſuccus inſtillatus.

DIOSCORIDIS.

Ad internas aurium inflammationes.

Crocum iniectum.

Sesamum cum rosaceo impositum.

MATTHIOLI.

Ouum gallinaceum crudum cum rosaceo impositum.

Oleum ex ouorum vitellis inditum.

Cucurbitæ ramentorum succus ex rosaceo instillatus.

DIOSCORIDIS.

Ad parotidas.

Oesipum impositum.

Caprarum montanarum fimus vino vel aceto decoctus emplastratus.

Lini semen tritum, & emplastri modo impositum.

Fabarum farina cum melle, & fœnugræco illita.

Rumex decoctus adhibitus.

Plantago emplastri modo adhibita.

Irionis semen tusum, decoctúmq; appositum.

Hyssopum suffitu incensum, & impositum.

Viscum cum pari resinæ ac ceræ commistum adhibitum.

Althæa decocta illita.

Psyl

Psyllium ex rosaceo, acetóq; aut aqua adhibitum.

Solani hortulani folia cum sale illita.

Galliopsis ex aceto adhibita.

Cimolia terra imposita.

MATTHIOLI.

Iridis radices recentes decoctæ, tusæq; ex hordeacea farina illitæ.

Fœnogræci farina in hydromelite decocta, & cum axungia applicata.

Asphodeli radix decocta, & illita.

Eryngij radix decocta emplastri modo adhibita.

DIOSCORIDIS.

Ad tinnitum, & incertos sonos.

Cedria infusa.

Lauri baccarum succus cum vino vetere & rasaceo instillatus.

Ficus siccæ tritæ cum sinapi, & liquore aliquo exceptæ iniectæ.

Taurinum fel infusum.

Mel cum trito fossili sale inditum.

Porri succus cum thure, aceto, lactéque instillatus.

Cæpæ succus impositus.

Sinapi tritum, & cum fico iniectum.

Acetum calidum suffitum per traiectorium instrumentum.

MATH.

MATTHIOLI.

Lauri, & nardi in vino decocti vapor per infundibulum immissum.

Cyclamini concisæ radices in rosaceo, amygdalino, chamæmelino, & vini modico calefactæ auribus instilatæ oleo prius immisso.

Cyclamini item contusarum radicum cum persicorum, amararúmq; amygdalarum nucleis, & deinde triduo aqua vitæ maceratarũ expressus succus & auribus infusus.

Oleum è colocynthide instillatum.

DIOSCORIDIS.

Ad purulentas aures.

Myrrha cum Mæconio, Castoreo, & glaucio iniecta.

Thus ex vino dulci infusum.

Resina
- Terebinthina
- Larigna
- Abiegna
- Picea

ex melle, & oleo indita.

Lycium infusum.

Rhois decoctum iniectum.

Myrti baccarum succus instillatus.

Oleæ syluestris foliorum succus ex vino impulsus.

Taurinum fel cum caprillo, humanóve

lacte

lacte instillatum.
Vrina infusa.
Vmbilicus veneris cum medulla ceruina iniectus.
Asphodeli radicum succus per se, & additis thure, melle, vino, & myrrha instillatus.
Cæpæ succus impositus.
Absinthium cum melle inditum.
Anisum cum rosaceo instillatum.
Spondilij florum succus immissus.
Poligoni succus infusus.
Stœbis decoctum iniectum.
Psyllij succus inditus.
Omphacium cum melle impositum.
Alumen sanguinalis herbæ succo exceptum infusum.
Flos salis iniectus.

MATTHIOLI.

Persici foliorum succus instillatus.
Oleum è vitellis ouorum.
Bursæ pastoris succus infusus.

DIOSCORIDIS.

Ad contusas aures.

Bulbi cum polenta impositi.
Sulphur cum vino, & melle illitum.

DIOSCORIDIS.

Ad exulceratas aures.

Oeſipum impoſitum.

Suillum fel inſtillatum.

MATTHIOLI.

Porrum non trãſplantatum cum terrenis vermibus in oleo decoctum.

DIOSCORIDIS.

Ad ſurditatem.

Haſtulæ regiæ radicum ex oleo decoctum iniectum.

Cæpæ ſuccus inſtillatus.

Veratrum nigrum immiſſum, & relictum vſque in diem tertium.

Bryoniæ ſuccus cum melle inſtillatus.

Flos æris conditus per fiſtulam flatu impulſus.

Sulphur raptim per fiſtulam ſuffitum.

MATTHIOLI.

Oleum reſinæ lariceæ, aut ſtillatitia eiuſdem aqua infuſa.

Fraxini ſpuma è viridi ligno in igne poſito emanans inſtillata.

Raphani radicis ſuccus, vnà cum oleo dulcium, & amararũ amygdalarum vino albo, & colocynthidis momento calefactus, & infuſus.

E cæpa excauata, & cymini puluere repleta, & sub feruenti cinere cocta expressus cremor instillatus.
Oleum è colocynthide infusum.

DIOSCORIDIS.

Ad vermiculosas aures.

Cedria cum aceto instillata.
Vrina humana in malicorio decocta instillata.
Capparis radicis succus iniectus.
Calaminthæ succus instillatus.
Psyllij succus inditus.
Acetum infusum.

MATTHIOLI.

Oleum è laricea resina destillatum, aut eiusdem aqua infusa.
Foliorum persici succus instillatus.
Ficulneum lac infusum.
Persicariæ succus inditus.
Centaurij minoris succus infusus.
Menthastri succus instillatus.
Trissaginis succus impositus.
Cannabis decoctum aut eius succus infusus.

DIOSCORIDIS.

Ad ſanguinis profluuium.

Thus in puluerem tritum iniectum.

Cochleæ terreſtres cum ſuo putamine tritæ, & impoſitæ.

Porri ſuccus cum thuris polline inſtillatus.

Ruta trita indita.

Vrticæ vtriuſque folia cum ſucco impoſita.

Cuminum ex aceto impoſitum.

Ferulæ medulla intromiſſa.

Liſimachia impoſita.

Clymeni ſuccus inditus.

Galyopſis flos impoſitus.

Equiſeti ſuccus infuſus.

Acetum tum potum, tum iniectum.

Stratiotes adhibita.

Chalcitis ſucco porri inſtillata.

MATTHIOLI.

Thus cũ tela araneæ, oleo, & oui vnius albo miſtum, & cum licinio naribus introductum.

Pannus in annoſis laricum caudicibus repertus intromiſſus.

Maſtiche cum thure, ſanguine draconis, leporinis pilis combuſtis, oui albo excepta, frontíque applicata.

Caphura cum vrticæ ſemine immiſſa, aut fronti ex ſedi, aut plantaginis ſucco illita.
Sandaracæ puluis ex oui albo fronti temporibúſque illitus.
Suberis cortex ex aqua calida potus.
Gallæ combuſtæ inditæ.
Pili è ventre viui leporis euulſi, & vſti intromiſſi.
Plantaginis ſtillatitia aqua cum æquali acerrimi aceti portione manuum volis pedum plantis, & iocinori applicata.
Cæpæ ſuccus ex aceto perquam acerrimo infuſus.
Cyclamini ſtillatitia aqua naribus ſurſum attracta.
Menthæ florentis ſtillatitia aqua balneo calentis aquæ deſtillata vnciarum quatuor pondere pota.
Betonicæ folia cum ſalis momẽto contuſa naribus immiſſa.
Clematis recens collo, gulæq́; circunducta.
Conſolida minor, & media.
Sanicula.
Auricula vrſi.
Piloſella.
Pirola.

Millefolij ſicci farina naribus indita.
Exuſta ſambuci folia, & in puluerem trita impoſita.
Gypſum tritum, & oui albo exceptum, & fronti illitum.
Iaſpis lapis ſuſpenſus, & in manu geſtatus.

DIOSCORIDIS.

Ad ſanguinem è naribus eliciendum.

Crocodilij radicis decoctum bibitum.

DIOSCORIDIS.

Ad polypum.

Cupreſſi pilulæ cum ſico tuſæ, & impoſitæ.
Dracunculi maioris radix impoſita.
Laſerpitij liquor cum chalcantho aut raſili ærugine illitus, forcipe prius exciſo polypo.
Flos æris inditus.
Sandaracha cum roſaceo immiſſa.

MATTHIOLI.

Ari radicis ſuccus.
Ari folia combuſta.

DIOSCORIDIS.

Ad narium vlcera & carcinomata.

Dracunculi maioris radix impoſita.

Hederæ ſuccus infuſus.
Sandaracha cum roſaceo iniecta.

DIOSCORIDIS.

Ad narium tædia.

Arantiorum florum aqua infuſa.

DIOSCORIDIS.

Ad narium diſtillationes.

Melanthij ſemẽ tritum, & linteolo colligatum ac ſæpius olfactum.

DIOSCORIDIS.

Ad ſternutamenta cienda.

Fibrorum teſticuli iniecti.
Ocymi ſemen, aut ſuccus naribus infuſus.
Sinapi tritum inditum.
Ranũculi radix ſicca, tritáque, iniecta.
Ptarmicæ flores olfacti.
Struthij radix impoſita.
Veratrum album tritum iniectum.

MATTHIOLI.

Betæ ſuccus infuſus.

ORIS ET LINGVAE.

MATTIOLI.

Ad fœtorem oris.

Iridis radix manſa.

Acorum deuoratum.
Galanga in ore detenta.
Cinnamomi vulgaris ſtillatitia aqua pota.
Moſchus in ore contentus.
Moſchardina, ita vulgo vocata, in ore ſeruata.
Caryophylli manſi.
Angelicæ radix manſa.
Aurum in ore contentum.

MATTHIOLI.

Ad puſtulas.

Bellidis folia commanſa.

DIOSCORIDIS.

Ad erodentia vlcera.

Syperi radicis farina in os indita etiã ſi vlcera depaſcantur vorẽntque.
Aſpalathi ex vino decoctum, ore collu tum, ad tetra oris vlcera.
Acacia indita.
Plantaginis ſuccus in ore detentus.
Capparis in aceto decocta in collutione.
Glicyrrhyzæ ſuccus in ore detentus.
Origani ſuccus in ore contentus.
Leucoij flores ex melle impoſiti.
Teſticulus ſerapias impoſitus.
Anthemis manſa.

Britannicæ ſuccus infuſus.
Tribuli ſuccus ex melle delinctus.
Rubi decoctum in ore contentum.
Quinquefolij radicis decoctũ ore collutum.
Verbenaca altera ex vino affuſa.
Staphiſagria cum melle indita.
Labruſcæ flos oris inſperſus.
Alumen cum melle impoſitum.
Sal cum polenta toſtum, & iniectum.

MATTHIOLI.

Aqua quæ è perforato betulæ caudice diſtillat in ore contenta.
Liguſtri folia commanſa.
Aurum in ore contentum.
Malorum punicorum vinum cum aqua plantaginis collutum.
Oleum è calcantho illitum.
Diphryges.
Corallium.
Achates lapis in ore detentus.
Fagi folia eſitata
Pruni ſylueſtris baccarum, & radicum decoctum in ore contentum.
Mororum ſuccus in collutionibus, aut gargariſmatibus additum.
Portulaca commanſa.
Cyani maioris ſuccus in ore detentus.

Flos

Flos ſalis in vino decoctus.
Bellidis folia commanſa.
Conſolidæ mediæ minoríſque folia, vel eorum ſuccus.
Sanicula.
Auricula vrſi.
Virgæ aureæ decoctum.
Piloſella.
Potentilla.

DIOSCORIDIS.

Ad oris halitum commendandum.

Reſina lentiſcina manducata.
Myrrha commanſa.
Mala medica manducata.
Aniſum manſum.
Bromus cum ſiccis roſis decocta, & in ore retenta.

MATTHIOLI.

Citri decoctum collutum.
Nux myriſtica commanducata.
Sonchi folia commanſa.
Caryophylli manſi.
Anethum commanſum.
Imperatoriæ radix commanducata.
Roſmarinum manſum.

DIOSCORIDIS.

Ad linguæ ſcabritiem.

Mentha confricata.
Rhois ſemen cum melle confricatum.

MATTHIOLI.

Mucago ſeminis cydoniorum illita.
Sebeſtena delibrata,& ſuperpoſita.
Tamarindorum pulpa confricata.
Saccharum candi in ore detentum.
Cucumeris recentis ſegmina impoſita.
Anguriæ pulpa admota.
Phyllitidis ſtillatitia aqua.
Solidaginis minoris decoctum.

MATTHIOLI.

Ad linguæ inflammationem.

Cucumeris recentis, vel Anguriç ſegmina impoſita.
Anguriæ pulpa adhibita.
Lentiſcinum oleum.
Trinitas herba in vino auſtero decocta.

MATTHIOLI.

Ad paralyſim linguæ.

Mumia tum bibita,tum confricata.
Cinnamomi ſtillatitia aqua in ore detenta.

Pyrethri, & lõgi piperis decoctum addito amaraci ſucco, & in ore retentum.

Sagapenum.

Pæoniæ ſeminis triginta grana à putamine repurgata contritáque, & ex vino pota.

MATTHIOLI.

Ad impeditam loquelam.

Nardi Italicæ aut lauendulæ ſtillatia aqua pota.

Cinnamomi vulgaris ſtillatitia aqua tum pota, tum in ore contenta.

MATTHIOLI.

Ad puſtulas.

Malorum punicorum vinum ex Rhodomelle, & aqua plantaginis adhibibitum.

Plantaginis ſuccus illitus.

Dentium & gingiuarum.

DIOSCORIDIS.

Ad dentes purgandos.

Cinis

Cinis	Purpuræ Buccinæ Mitulorum Conchulæ Cochlearum ter- restrium Sepiæ piscis Ceruini cornu	dẽtibus affrica-tus.

Plantaginis radicis decoctum in collu tionibus.

Aristolochia rotunda confricata.

Alcyonium quintum Pumex Arabicus lapis Samius lapis	dentibus affri-cata,

MATTHIOLI.

Gammamorum lapilli in puluerem af-fricti.

Maluę radix sub cineribus decocta ma dida papyro circũuoluta, deinde sic-cata, & pro dentifricio vsurpata

Cyclamini succus cum melle illitus.

DIOSCORIDIS.

Ad dentium dolores.

Piceæ & pini folia trita ex aceto deco-cta frequenti collutione.

Cedria dentium cauis indita.

Platani corticis ex aceto decoctũ ore collutum.

collutum.
Tamaricis foliorum ex vino decoctum in ore detentum.
Olei amurca in cupreo vaſe ad mellis craſſitiem decocta ex aceto, aut vino, aut mulſo colluta.
Mori corticis decoctum, aut pariter foliorum in collutionibus additum.
Ficulneum lac lana exceptum, & cauis dentibus inditum.
Anguium ſenecta ex aceto decocta in collutionibus.
Paſtinacæ piſcis aculeus in eius cauda prominens dentibus adhibitus.
Ranarum ex aqua, & aceto decoctum in collutionibus.
Lacertę iecur cauis dẽtibus impoſitus.
Vermes terreni oleo elixi, & in contrariam aurem inſtillati.
Rumicis decoctum in collutionibus.
Aſparagi radicum decoctũ in ore contentum.
Aſphodeli radicum ſuccus in contrariam aurem infuſas.
Allij tedæ, thuríſque ſimul decoctum in ore contentum.
Ononis radicis ex poſca decoctum in collutionibus.
Capparis ſeminis decoctum in collutionibus

tionibus.
Idem præſtant capparis cortex, quin & radix commanducata.
Lepidij (vt aiunt) radix collo ſuſpenſa.
Ranunculi radix impoſita.
Anagallidis ſuccus in contrariam narium partem infuſus.
Hederæ corymborum acini quinque cum roſaceo in malicorio feruefacti in contrariam aurem inſtillati.
Chamæleonis nigri decoctum in ore contentum.
Spinæ albæ decoctũ in collutionibus.
Leucacanthæ radix commanducata.
Abſinthij decoctum ſuffitum.
Hyſſopi ex aceto decoctum in ore retentum.
Panaces heracleũ dentiũ cauis inditũ.
Pyrethri decoctum ex aceto in ore acceptum.
Peucedani ſuccus cauis dentiũ indit⁹.
Laſerpitij liquor cauis dentiũ impoſit⁹.
Galbanum illitum & eorum cauis inditum.
Apiaſtri decoctum in collutionibus.
Althææ decoctum ex aceto in ore detentum.
Betonicæ decoctum, ex vino, vel aceto.
Clematis prima commanducata.
Polemonij

Polemonij radix commanducata.

Quinquefolij radicis decoctum in ore retentum.

Hyoscyami radicis ex aceto decoctum in collutionibus.

Solani somnifici ex vino decoctum in ore retentum.

Ephemeri radicis decoctum in collutionibus.

Verbasci decoctum collutum.

Arction ex vino decocta, & in ore detenta.

Cucumeris sylvestris decoctum in os sumptum.

Colocynthidis decoctum in collutionibus.

Staphisagriæ decoctum ex aceto in ore contentum.

Tithymali caraciæ lac dentium cauernis inditũ, dente prius cera munito, ne lac in fauces incidat.

Acetum calefactum in collutionibus.

Sory dentium cauis inditum.

MATTHIOLI.

Mastiche cum cera odorata mansa.

Cupressi conorum decoctum ex aceto collutum.

Sandaracæ suffitus per infundibulum receptus.

Iuniperinum oleum calidum ore contentum.
Quinta eſſentia noſtra lib.5. comment. de vino deſcripta in ore contenta.
Betonicæ decoctum ex vetere vino paratum in ore detentum.
Iuniperinarum baccarum ex vino albo decoctum, additis cupreſſi pilulis, & myrti foliis,& aquæ vitæ momento ſæpe collutum.
Myrycæ decoctum ore verſatum.
Caſtoreum ex oleo auri dolentis lateris infuſum.
Calli equorum cruribus innati triti,& per aurem oleo infuſi.
Plantaginis radix commanſa,quinetiá dentium colluſionibus incocta.
Sinapis ſemen manſum.
Naſturtij ſuccus calidus in aurem dolentis lateris inſtillatus.
Cyclamini ſuccus cum melle in ore detentus.
Iridis radix manſa , & eius decoctum collutum.
Nardi Italicę,aut lauendulæ decoctum ore contentum.
Hyoſcyaminum oleum tepidum ore contentum.
Imperatoriæ radicum decoctum ex vino auſt

Portulaca in cibum sumpta.

Asparagi radicum decoctum haustum.

Crithami radix, semen, & folia ex vino decocta, epota.

Sandicis decoctum ebibitum.

Caucalis olerū modo in cibo sumpta.

Amaraci decoctum epotum.

Baccharis radicū decoctum haustum.

Ocimi semen bibitum.

Smyrnij radix pota.

Agaricum drachmæ pondere datum.

Peucedani succus epotus.

Rhaponticum potum.

Phalaridis succus ex aqua, aut vino haustus.

Lotus syluestris trita per se, aut cum maluæ semine ex vino, aut ex passo ebibita.

Chamæpitys potui data.

Chamæleonis albi radicis decoctum potum.
Abrotoni ſemen tritum, & ex aqua calefactum & hauſtum.
Paſtinacæ ſylueſtris ſemen potum, vel pubi illitum.
Tordilij ſemen in potu ſumptum.
Polemonij radix ex aqua pota.
Siſonis ſemen hauſtum.
Ammi cum vino ebibitum.
Petroſelini ſemen epotum.
Galbanum hauſtum.
Chamædryos decoctum potui datum.
Trifolij bituminoſi ſemen, & folia in aqua pota.
Scordij decoctum ex vino, vel ex aqua paratum epotum.
Anthyllis altera drachmarum duarum pondere ſumpta.
Pœonia potui data.
Althææ decoctæ ſuccus ex vino potus.
Graminis radicum decoctũ ebibitum.
Arctij radix cum ſemine decocta potui data.
Adiantum potum.
Trichomanes hauſta.
Alcyonium tertium epotum.
Lapis { Hæmatites ex vino / Morochth⁹ ex aqua } potus.

Lapis

Lapis { Iudaicus ciceris magnitudine ex aqua calida potus.
Spongiæ ex vino hauſtus.

MATTHIOLI.

Caſſiæ ſolutiuæ pulpa deuorata aut cum diureticis hauſta.

Amygdalarum oleum potum, aut per penis meatum infuſum.

Terebinthina reſina deuorata.

Lauri baccę cum triticeo furfure, iuniperi baccis & allio contritæ, & vino ſuper calenti tegula aſperſæ & pubi ſuperpoſitæ.

Napi ſemen cochlearis menſura addita lini ſeminis drachma ex vino potum.

Rhaphani ruſticani radix minutim con ciſa vnà cum petroſelini vulgaris ra dicibus ex oleo, vel butyro, & vino calefacta & pubi adalligata.

Raphani hortenſis radix eodem modo vſurpata.

Raphani vtriuſq; dilutum ex vino paratum hauſtum, vel eorũ ſuccus vnciarum duarum pondere ex cretico vino ſumptum.

Anonidis radicum ſtillatitia aqua pota. parandi modũ habes lib.3. cap.8.

DIOSCORIDIS.

Ad vrinæ ſtillicidium.

Acori decoctum potum.
Siſymbrij ſemen in vino bibitum.
Panaces heracleum ex vino hauſtum.
Seſeli Maſſilienſe potui datum.
Cumini ſylueſtris alterius ſemen in potu ſumptum.
Oluſatri radix cum ſemine ex mulſo pota.
Polycnemum ex vino ebibitum.
Clynopodium hauſtum.
Oenanthes radix cum vino epota.
Conyzę folia, & flores in potu.
Aſplenij decoctum potui datum.
Cæpæ cum aſparagi radicibus decoctum, in potu ſumptum.
Onobrychis bibita.
Poligoni ſuccus hauſtus.
Saxifraga in vino decocta potui data.
Xyripis radix ex mulſo pota.
Tragij liquor, ſemen, & folia in potu ſumpta.
Ruſci folia, radices, & baccæ ebibitæ.
Lauri Alexãdrinæ radix ſex drachmarum pondere potui data.
Elichryſij coma ex vino hauſta.

MAT

MATTHIOLI.

Phu decoctum epotum.

Caſſiæ ſolutiuæ pulpa cum dulci radice ſumpta.

Nuclei pinei ſaccharo aut melle excepti.

Sebeſtena.

Zizypha.

Cochleæ cum ſuo putamine contritæ ex paſſóque diebus ſeptem continuis hauſtæ.

Leporini teſticuli in cibo ſumpti.

Cicerum rubeorum decoctum, paratum vt in ciceris commento.

Sonchi lacteus ſuccus è caule manans cyathi menſura.

Amarago ſiue dens leonis ex aceto decoctum & potum.

Melopeponum ſeminum lacteus cremor additis halicacabi paſtillis, aut glycyrrhizæ ſucco, mumiæq́ue momento, & gummi arabici, & tragacanthæ nonnihil.

Lactucæ ſemen è papauerini ſeminis cremore hauſtum.

Traſorum lacteus cremor è carnium iure abſque ſale paratum.

Glycyrrhiza.

Cuminum ex dulci vino potum.

Eryn

Eryngij radix.
Filipendulæ radices, aut earum decoctum epotum.
Veronica mas.
Lagopi decoctum cum maluæ foliis, & dulci vino paratum.
Agrimoniæ ex vino albo decoctũ cum ſaccharo hauſtum.
Solani halicacabi baccarum ſuccus ex papaueris albi cremore, aut melopeponum, aut cucurbitæ, aut cucumeris ſeminum, hauſtus.
Lupulorum flores in deſeſſionibus additi.

DIOSCORIDIS.

Ad veſicæ vlcera.

Myrti folia & ſemen pota.
Lac omne bibitum.
Cucumeris ſemen ex lacte, & paſſo hauſtum.
Glycyrrhizæ ſuccus ex paſſo ſumptus.
Vua paſſa alba comeſa.

MATTHIOLI.

Nuclei pinei ex melle aut ſaccharo deuorati.
Mumia ex caprillo lacte pota.
Amyli ſemuncia cum ouo & vuis paſſis ſubferuefacta, & à balneo ſumpta.

Equiſeti cuiuſque decoctum, aut aqua ſtillatitia cum herbæ puluere pota.

DIOSCORIDIS.

Ad veſicæ vulnera.

Butyrum infuſum.
Equiſeti folia ex aqua pota.

DIOSCORIDIS.

Ad eiiciendos veſicæ calculos.

Oſſifragi auis ventriculus paulatim in potu hauſtus.
Muris, qui muſerta dicitur, fimus cum mulſo, & thure potus.
Vrina apri potui data.
Rumicis radicum ex vino decoctum bibitum.
Sion crudum, coctúmve hauſtum, vel comeſtum.
Siſymbrij ſemen potum.
Baccharis decoctum hauſtum.
Apij ſemen vel radix vino bibita.
Fœniculum erraticum potum.
Sagapenum potui datum.
Adianti decoctum ebibitum.
Trichomanes decoctum in potu ſumptum.
Vitis viniferæ lachryma in caudice cõcreta ex vino hauſta.

DIOSCORIDIS.

Ad vesicæ calculos frangendos educendósque.

Cardamomum cũ corticis radicis lauri drachma potum.

Bdellium potu ſumptum.

Ceraſi arboris gummi bibitum.

Aſpleni decoctum hauſtum.

Lithoſpermum ex vino albo potui datum.

Saxifraga ebibita.

Graminis decoctum hauſtum.

Tragij ſemina pota.

Ruſci radices,ac baccæ ĩ potu ſumptę.

Iudaicus lapis coti delimatus, ex aqua calida potus.

Lapis ſpongiæ potui exhibitus.

MATTHIOLI.

Balſami factitij liquores omnes poti.

Betulæ aqua quæ è perforato caudice deſtillauit epota.

Ericæ decoctum tum potum, tum balneum ex eo paratum.

Scorpionum exuſtorum cinis potioni inſperſus.

Scorpionum oleum pubi illitum.

Leporis integri cinis in potione ſumptus.

Murium ſtercus potum.
Bubuli fellis lapis in potu ſumptus.
Humani ſtercoris ſtillatitia aqua epota.
Polygoni minoris puluis ex vino potus.
Saxifragiæ albæ ex vino decoctum bibitum, ſiue albicantia grana radicibus inhærentia contuſa, & deuorata.
Saxifragia magna drachmæ pondere ex vino.
Primulæ veris radicum decoctum hauſtum.
Geniſtæ florum decoctum epotum.
Corallium vſtum bibitum.

DIOSCORIDIS.

Ad vrinæ incontinentiam.

Rutæ ſylueſtris ſemen frixum, & in cibis ſumptum.
Phœnix in vino auſtero bibita.

MATTHIOLI.

Mumia ex caprillo lacte hauſta.
Echini terreſtris combuſti cinis cum agrimonio, & interna membrana ventriculi gallinæ ſumptus.
Tormentillę } radices ex plantaginis
Biſtortæ } aqua potæ.

MATTHIOLI.

Ad vesicæ scabiem.

Caſſiæ ſolutiuæ pulpa cum puluere dulcis radicis deuorata.
Nuclei pinei deuorati ex melle, aut ſaccharo.
Amygdalinum oleum epotum.
Seſaminum oleum hauſtum
Glycyrrhizæ radix, & eius ſuccus.

DIOSCORIDIS.

Ad cruentos mictus.

Cumini ſyluestris alterius ſemen hauſtum.
Elichryſij coma in mulſo pota.
Acida muria infuſa.

MATTHIOLI.

Dactylorũ oſſa cum crudo ſerico combuſta, intus ſumpta.
Plantaginis & millefolij ſuccus potus, addita philonij perſici drachma.
Millefolij farina vnciæ pondere, vnà cum boli armenij drachma ex lacte bubulo propinata.
Millefolij ſuccus vnciæ pondere cum ſirupo myrtino hauſtus.

VIRILIVM, ET PVdendorum.

DIOSCORIDIS.

Ad venerem ciendam ſtimulandámque.

Coſtus ex mulſo bibitus.
Crocum potum.
Semen lini cum melle, & pipere deuoratum.
Rapum decoctum in cibum ſumptum.
Eruca largius in cibis comeſta.
Erucæ ſemen hauſtum.
Dracunculi maioris radix toſta, vel elixa in vino bibita.
Aſphodeli radix aſſumpta.
Naſturtium potum vel comeſtum.
Porri ſemen potui datum.
Bulbus decoctus manducatus.
Allium cum coriandro tritum in cibis.
Vrticæ ſemen ex paſſo potum.
Gallij radix aſſumpta.
Menthæ ſuccus epotus.
Paſtinacæ erraticæ radix deuorata.
Aniſum ebibitum.
Teſticuli canis radix quę vegetior eſt, bibita, vel manducata.
Satyrij radix eſitata.
Horminium in vino potum.
Gladioli ſuperior radix ex vino sũpta.

Scin

Scincorum renes drachmæ pondere ex vino hausti.

Lac omne ebibitum.

MATTHIOLI.

Galanga pota, aut in cibis addita.

Moſcus ex cicino oleo peni illitus.

Zibetum eodem modo inunctum.

Piſtaceorum oleum vnà cum oleo ſinapino, benzuino, & moſco genitalibus illitum.

Fraxini ſemen cum piſtaceis, & nucibus pineis deuoratum addito ſaccharo.

Nux Indica.

Myriſticæ nucis oleum genitalibus illitum.

Sepiæ piſcis cum nucibus, & allio paratæ, & deuoratæ.

Genitale cerui in puluerem tritum & ex ouo ſumptum.

Caryophylli quatuor drachmarũ pondere ex lacte epoti.

Phaſioli in lacte bubulo decocti, & pipere longo, & galanga aſperſi.

Dauci ſemen.

Mala inſana elixa, & deinde in butyro frixa, & cum longo pipere deuorata.

Vitis nigræ radix ſub feruentibus ci-

neribus decocta, & cum pipere & sale deuorata.

DIOSCORIDIS.

Ad augendam genituram.

Coriandrum ebibitum.

Omnia medicamēta quæ venerem excitant, præter ea quę in calore & siccitate excellunt.

MATTHIOLI.

Sesaminum oleum potum aut in cibis additum.

Cephiliones cum pipere, & sale.

Nuclei pinei.

Pistacia.

Nux Indica.

Gallinaceorum testes frequenter deuorati.

Oryza in bubulo lacte decocta addito croco, & cinnamomo.

Cicera cibo data.

Phasioli lacte bubulo decocti longóq; pipere, galanga, & saccharo aspersi.

Rapum in lacte decoctum.

Napi ex pinguium carnium iure decocti, & addito pipere deuorati.

Siser coctum, & cũ pipere deuoratum.

Asparagi in cibo sumpti.

Traso

Trasorum cremor ex carnium iure paratus & haustus.
Caryophylli quatuor drachmarum põdere ex lacte epoti.
Cinaræ echinus ex pipere deuoratus.
Ferulæ corculum sub cineribus decoctum cum sale,& pipere deuoratũ.
Mala insana cocta,& in butyro frixa,& cum pipere deuorata.
Vitis nigræ radix sub cineribus feruentibus probe decocta, & cum pipere deuorata.

DIOSCORIDIS.

Ad venerem inhibendam,& nocturnas pollutiones.

Viticis semen potum, & folia testibus adhibita
Portulaca manducata, pudendísque applicita.
Lactucæ semen potum nocturnas veneris imaginationes arcet.
Anethi seminis,& comæ decoctum assidue potum.
Ruta in cibo, potúque sumpta.
Canini testiculi herba languida, flacidáque radix potui data.
Cannabis satiuæ semen in cibum largius sumptum.

Gladioli inferior radix epota.

Cicuta cum ſua coma trita, & genitalibus illita, & eſt potentiſſimum medicamentum.

MATTHIOLI.

Caphura renibus, & teſtibus illita.

Vinum in quo mullus piſcis fuerit immerſus, epotum.

Lactucæ ſuccus cum caphuræ momento teſtibus illitus.

Lactucæ ſemen ex papauerini ſeminis cremore hauſtum.

Siſymbrij ſuccus teſtibus adhibitus.

Cannabis ſatiuæ ſemen largius ſumptum.

DIOSCORIDIS.

Ad ſeminis profluuium.

Nymphęæ radix bibita.

Iridis Illyricæ radix ex aceto pota.

MATTHIOLI.

Hyoſcyaminum oleum renibus, & teſtibus illitum.

Thus drachmæ pondere cũ aqua nymphęæ ebibitum.

Larigna aut terebinthina reſina ex aqua plantaginis lota, additis ſuccino, vel aſpleno, & caphuræ momento.

Caphura cũ ſuccino ex aqua nymphęæ hauſta exteriúſque illita.

Roſarum baccarum ſemen & lanugo in vino auſtero epota.

Roſarum crocei floſculi capillíve poti.

Saccharum è punicę floribus paratum ex vino auſtero ſumptum.

Cichorij ſuccus ebibitus.

Menthaſtri ſuccus potus,& teſtibus illitus.

Aſpleni aurigo drachmæ pondere cum albi ſuccini ſemidrachma ex portulacæ aut plantaginis ſucco epota.

Lithoſpermi vtriuſque ſemen ſeſquidrachmæ pondere addita pari quantitate aſpleni , & ſuccini ſcrupulis duobus ex ſucco portulacæ pluribus diebus hauſtum.

Millefolium cui candida ineſt vmbella vnà cum floribus tuſum , & cum ſuaipſius aqua ſtillatitia , aut caprino lacte potum , vel cum corallio , ſuccino , & eboris ſcobe propinatum.

Vnguentum ex roſaceo in mortario plumbeo paratum.

Diphryges illitum ex roſaceo vngento.

Corallium epotum.

DIOSCORIDIS.

Ad pudendorum vlcera.

Oesypus illitus.
Aloë illita, & in puluerem imposita.
Polygoni succus in vino decoctus cum melle adhibitus.
Alumen quocunque modo adhibitum.
Flos salis inspersus.

MATTHIOLI.

Mumia ex caprillo lacte epota.
Malicorium cum marina spongia exiccatum, additis aloë, & alumine.
Cucurbitæ exustæ cinis.
Cammarorum lapilli cum tartaro triti, & aspersi.
Abrotonũ vstum in puluerem admotũ.
Floris solis decoctum fotum.
Anethum vstum & aspersum.
Solidaginis mediæ folia, aut eorum succus adhibitus.
Sanicula
Auricula vrsi
Pilosella
Potentilla
Pulmonaria altera } tum in puluerem inspersa tum in lotionibus decocta & fota.

DIOSCORIDIS.

Ad testium inflammationes, & tumores.

Cicer cum eruo decoctum appositum.

Faba

Faba in vino decocta cataplaſmatis adhibita.
Senecionis folia cum floribus emplaſtri modo impoſita.
Aſphodeli radix & folia illita.
Cimolia illita.
Melilotum emplaſtri modo adhibitũ.
Geodes lapis illitus.
Ruta illita cum lauri foliis.
Sal cum origano, & fermento illitum.
Cuminum cum vua paſſa fabæque lomento, aut cera impoſitum.
Coriandrum cum vua paſſa, & melle illitum,
Lilij conciſa radix cum apollinari herba & triticea farina cataplaſmatis modo adhibita.
Samia terra ex roſaceo, & aqua illita.
Hyoſcyami ſemen tritum ex vino impoſitum.

MATTHIOLI.

Iridis Illyricæ farina cum aliis quibuſdam medicamentis, vt in commento de Iride diximus.
Hyoſcyaminum oleum illitum.
Fœnugræci farina ex hydromelite decocta, & addita axungia impoſita.
Cicerum farina, aut fabarum, aut erui

ex aqua decocta & illita.
Bellidis folia tusa & illita.
Lentis palustris stillatitia aqua illita.
Vnguentum ex mortario, & pistillo plumbeo cum rosacco paratum & illitum.

DIOSCORIDIS.

Ad genitalium pruritum.

Saluiæ decoctum ex vino fotum.
Resinæ omnes, præsertim terebinthina illitæ.

DIOSCORIDIS.

Ad induratos testes.

Irionis semen impositum.

MATTHIOLI.

Irinum oleum illitum.

DIOSCORIDIS.

Ad eos qui natura præputio carent.

Thapsiæ succus circumlinitus: tumorem enim excitat qui deinde pinguium fotu emollitus præputij iacturam resarcit.
Mel triginta diebus à balneo illitum.

DIOSCORIDIS.

Ad genitalium phagædenas exulcerationes.

Taurinum fel ex melle illitum.

Labrusc

Labruſcæ flos tritus cum melle, croco, myrrha, & roſacco impoſitus.

MATTHIOLI.

Piloſella Potentilla Solidago minor, & media Sanicula Pyrola Auricula vrſi	quouis modo vſurpata in topicis auxiliis.

DIOSCORIDIS.

Ad genitalium thymos.

Smaridis ſalſæ crematum caput illitum.
Fel ſyluestris capræ inunctum.
Fimum ouillum ex aceto impoſitum.
Thymus emplaſtri modo adhibitus.
Thymbra appoſita.
Ruta cum pipere, nitróque confricata.
Tithymali characiæ lac inunctum.
Chamæſices rami triti, & impoſiti.
Mercurialis ſuccus illitus.
Heliotropij ſemen illitum.
Oleum è chalcantho illitum.
Oleum noſtrũ de antimonio, cum cautela adhibitum.

Vteri.

VTERI.

DIOSCORIDIS.

Ad vteri strangulatus.

Mei radices tritæ & cũ melle in eclegmate deuoratæ.

Iuniperi baccæ potæ.

Vngues odorati suffiti.

Cimices lectularij naribus appositi.

Bitumen olfactũ, suffitũ, & admotum,

Phocæ coagulum potum.

Vrina cum ligustrino oleo feruefacta infusa.

Plantaginis succus haustus.

Sinapi tritum naribus illitum.

Agaricum drachmæ põdere sumptum.

Ruta trita melle excepta pudendis & sedi illita.

Panacis herculei semen cum vino bibitum.

Seselis Massiliensis radix & semen epotum.

Peucedanum olfactum.

Sagapenum naribus adhibitum.

Trifolij bituminosi semen, & folia hausta.

Pœoniæ nigri seminis grana xv. epota.

Alismatis radix pota.

Betonicæ folia drachmæ pondere in aqua dulci ebibita.

Gagates lapis suffitus.

MATTHIOLI.

Zibetum cauernulis vmbilici illitum.
Iuglandium iuli in puluerem contriti, & ex vino albo epoti.
Castoreum incensum naribus admotũ.
Castoreum semioboli põdere cum pari assa fœtida in catapotiis deuoratum.
Imperatoriæ radix ex vino.
Sagapenum cum olfactum, tum catapotiis insumptum.
Alliariæ semen suppositum.
Tussilaginis maioris radix duarum drachmarum pondere ex mero pota.
Hippoglossi radicum aut foliorum puluis cochlearis mensura ex vino vel iure haustus.
Antirrhyni flores, folia & semen cum rosaceo, & melle vmbilico adhibita.
Vitis albæ radix ex vino hausta.
Quinta essentia nostra in commento de vino descripta hausta, & in faciẽ proiecta.

DIOSCORIDIS.

Ad menses ducendos.

Iris illirica ex vino sumpta, & fotu adhibita.

Mei radicum decoctum deſeſſionibus adhibitum.
Acori decoctum in ſeſſionibus.
Cyperi radicum decoctum fotu adhibitum.
Alari radices ſenis drachmis ex aqua ebibitæ.
Phu decoctum potui datum.
Caſſia odorata in potu ſumpta.
Cinnamomum hauſtum, vel myrrha ſuppoſitum.
Amomum peſſis aut ſeſſionibus additum.
Coſtus ebibitus.
Odoratus iuncus potui datus.
Calamus odoratus hauſtus,& fotu ſuppoſitus.
Cancamum ex aqua mulſa potum.
Helenij radicum decoctum hauſtum.
Myrrha cum abſinthio, lupinorum cremore, vel rutæ ſucco admota.
Styrax pota,& appoſita.
Bitumen ex vino,& caſtoreo bibitum.
Cedrides ex polline piperis hauſtæ.
Lauri foliorum decoctum fotu admotum.
Phyllireæ folia potui data.
Viticis ſemen drachmę pondere ex vino hauſtum.
Oleæ

Oleæ Aethiopicæ, ac noſtratis lachryma epota.
Amygdalæ amaræ deuoratæ.
Ficulneum lac cum detrita nuce grȩca ebibitum.
Cochleæ terreſtres cum ſuo operimento tuſæ & fæmineis locis admotæ.
Caſtoreum drachmarum duarum pondere hauſtum.
Cæpæ ſuccus pudendis illitus.
Oeſypum in lana ſuppoſitum.
Anſerinus,& gallinaceus adeps illitus.
Caprarum montanarum fimus ex odoramento aliquo potum.
Scandulaceum bibitum.
Seminis lini decoctũ fotu admotum.
Lupinorum decoctum cum myrrha & melle ſuppoſitum.
Raphanus in cibum ſumptus vel eius ſuccus hauſtus.
Aſphodeli radix potui data.
Eryngij decoctum hauſtum.
Braſſicæ ſuccus ex loliacea farina ſuppoſitus, vel eiuſdem decoctum ebibitum.
Sium pro olere ſumptum.
Chrithmum vel eius decoctum in potu ſumptum.
Centaurij maioris radix bibita, vel

eiusdem succus suppositus.
Condryllæ gũmi ex myrrha subditum.
Lactucæ syluestris lacteus succus epotus.
Porrum domesticum, & syluestre deuoratum.
Allij comarum decoctum in desessionibus additum.
Cyclaminus tum pota tum supposita.
Abrotoni semen ex aqua haustum.
Capparis cortex, & semẽ potui datum.
Anemones radix ex vellere apposita.
Hederæ corymbi triti subditi.
Pulegium ebibitum.
Agaricum cum oxymelle drachmæ pondere haustum.
Origanum epotum.
Absinthium haustum, vel ex melle subditum.
Tragoriganum potui datum.
Saluiæ decoctum ebibitum.
Ammi ex vino haustum.
Thymi, Tymbræque decoctum in potu sumptum.
Serpyllum potui datum.
Smyrnij semen ebibitum.
Amaraci decoctum haustum vel pudendis illitum.
Baccharis radicis decoctum epotum.

Ruta vtraque tum pota,tum ſubdita.
Panaces herculeum ex vino hauſtum.
Liguſtici radix & ſemen potum, & illitum.
Paſtinacæ erraticæ ſemen epotum.
Seſelis Maſſilienſis radix,& ſemen hauſtum.
Tordilium potui datum.
Fœniculum ex vino ſumptum.
Siſon bibitum.
Libanotis radices epotæ.
Peucedani ſuccus hauſtus.
Petroſelinum potui datum.
Daucum hauſtum.
Hammoniacum in potu ſumptum.
Nigella pluribus diebus hauſta.
Sagapenum potum.
Laſerpitij liquor cum pipere, & myrrha bibitus.
Galbanum ſuppoſitum,& ſuffitum.
Clinopodium hauſtum.
Chamædryos decoctum potui datum.
Lilij cremata radix ex roſaceo ſubdita
Meliſſophylli decoctũ in deſeſſionibus.
Trifolij ſemen,& folia pota.
Polij vtriuſque decoctum hauſtum.
Scordij ſuccus bibitus vel herba ipſa ſubdita.
Artemiſiæ decoctum ſeſſionibus ad-

ditum.
Myrrhis bibita.
Conyzæ folia, & flores epoti.
Hemerocallis radix cũ vellere ſubdita.
Ruſci folia & baccæ ex vino ſumpta.
Leucoij decoctũ fotum , & ſeſſionibus adhibitum.
Eiuſdem ſemen duarum drachmarum pondere ex vino ſumptum.
Anthemidis decoctũ , tum potum tum fotu admotum.
Pœoniæ radix amygdalæ quantitate hauſta.
Rubiæ radix ſuppoſita.
Adianti decoctum ebibitum.
Trichomanes potui data.
Anagyris tria folia ex paſſo ſumpta.
Hypericum tam ſumptum, quàm ſubditum.
Coris ſemen potui datum.
Vrticæ vtriuſq; folia trita, & cum myrrha ſubdita.
Betonicæ folia drachmæ pondere cum vino epota.
Medij ſemen hauſtum.
Chamędaphnes foliorum ſuccus ex vino bibitus.
Gladioli ſuperior radix ſuppoſita.
Tragij liquor bibitus, quinetiã ſemen
&fo

& folia pota drachmæ pondere.
Chrysocome ex mellicrato sumpta.
Elaterium in pesso subditum.
Helichrysi coma ex mulso potui data.
Mandragoræ liquor semioboli pondere subditus.
Eiusdem semen ebibitum.
Daphnoides hausta.
Veratrum { Nigrum, Album } suppositum.
Vitis nigræ tenellæ viticulæ in cibum sumptæ decoctæ olerum vel asparagorum more.
Vinum { Scillinum, Absinthites, Hyssopites } haustum.

MATTHIOLI.

Nardus Italica, & Lauendula cum in potionibus, tum in fomentis.
Asarinæ decoctum potum.
Phu quoquomodo sumptum.
Cinnamomi stillatitia aqua epota.
Calamus odoratus vulgaris.
Crocum ex iure sumptum.
Iuniperinarum baccarum decoctum bibitum.
Sabinæ decoctum haustum.
Arundinis radix.
Cicerũ rubrorũ nigrorúmve ius potũ.

Lupini decoctum cum myrrha, & melle impositum.
Sinapi in potione sumptum.
Dracunculi radix supposita.
Ari semen drachmarum duarum pondere haustum.
Gentiana quouis modo sumpta.
Aristolochia longa fotu adhibita.
Centaurij magni radix ebibita.
Centaurij minoris succus suppositus.
Cardui benedicti decoctum tam haustum, quàm fotu adhibitum.
Hyssopum } quoquomodo vsurpatũ.
Pulegium }
Dictamnus albus tum suppositus, tum cum pulegio suffitus, tũ ex mero potus duarum drachmarum pondere.
Gattaria tam pota, quàm in desessionibus addita.
Calamintha tum pota, tum supposita.
Imperatoria quouismodo vsurpata.
Vincetoxici rad. in desessionib. additę.
Artemisiæ recentia folia cum myrrha & oleo irino trita, & apposita.
Botrys suffitu vsurpata.
Matricaria quoquomodo adhibita.
Lupuli semen tritum, & potui datum.
Quinta essentia nostra frequenter pota sescunciæ pondere.

MATTHIOLI.

Ad alba vteri profluuia.

Hyoſcyaminum oleum pubi & lumbis illitum,& ſuppoſitum cum lana.

Caphura cum ſuccino, & aqua nymphęæ hauſta,aut pubi, aut imo ventri illita.

Floſculi medij roſarum cum ſuis capillis accepti.

Quernorum foliorum tenellorum ſtillatitia aqua hauſta.

Caſtanearum interior membrana rubens cum eboris ſcobe,& nymphęæ albæ ſtillatia aqua epota.

Saccharum è floribus punicæ arboris paratum,deuoratum.

Dactylorum oſſa in puluerem contrita & cum ſanguinis draconis lachryma & aqua portulacæ ebibita.

Oſſicula mali punici acidi cum thuris polline ex ſtillatitia roſarum aqua.

Auellanarum putamina ex vino auſtero hauſta.

Ebur in tenuiſſimum puluerem tritum & ex cremore ſeminis lactucæ potum,quod prius in aqua,in qua ferrum candens extinctum fuerit, ſit maceratum.

Milij Indici panicularum flores ex vino austero epoti.

Ophiogloſſum ex quernorũ foliorum aqua potum.

Saluiæ aridæ folia ſuffita.

Roſmarinum quotidie, idque diutius ſumptum.

Lunaria minor ebibita.

Archimillę ſtellariæ appellatæ ſtillatitia aqua pota, aut in vterum infuſa, aut eius decoctũ deſeſſionibus vſurpatum.

Caryophyllatæ radices hauſtæ.

Potentillæ ſiccæ farina ex ſua ipſius aqua ſtillatitia additis corallio & eboris ſcobe, epota.

Solbaſtrella, & eius ſemen.

Pulmonaria altera.

Amaranti purpureus flos.

Millefolium recens contuſum, & ſuppoſitum, pubíque illitum, vel cum corallio, ſuccino, & eboris ramentis ex ſui ipſius aqua ſtillatitia epotum.

Malorum púnicorum acidorum vinum potum.

Cymbalaria herba in acetariis deuorata.

DIOSCORIDIS.

Ad menſes cohibendos.

Nardus Indica.

Muſcus arboribus innaſcens in ſeſſionibus additus.

Thuris cortex in peſſo ſubditus.

Oxyacanthæ baccæ in potu vel in cibo ſumptæ.

Hypociſtis tum pota, tum indita.

Oleæ ſylueſtris ſuccus pudendis admotus.

Rhois ſemen potum alba profluuia ſiſtit.

Palmulæ immaturæ manducatæ.

Palmularum inuolucrum potui datum

Punicorum acinorum nuclei ſiccati in ſole, & obſoniis inſperſi, concoctíve ſumpti.

Gallæ in decoctis additę ad inſeſſiones paratæ.

Glandium tenuior cortex tum bibitus, tum in paſſo ſuppoſitus.

Myrti ſemen fotu ſubditum, vel deſeſſionibus additum.

Cotoneorum malorum decoctum fotu adhibitum.

Acacia tum pota, tum indita.

Lycium ſubditum.

Loti lignum decoctum hauſtum, aut

fotu admotum.

Lentiſci folia tã epota, quàm ſubdita.

Coagulum	Leporinum Hœdinum Agninum Ceruinum Hinnulinum Vitulinum	potum, ac ſubditum.

Ceruinum cornu vſtum lotum ex adſtringenti liquore aliquo hauſtum.

Caprarum montanarum fimum ſiccatum, tritúmve cum thure in lana ſuppoſitum.

Rumicis radices ſubditæ.

Plantago tum bibita, tũ fotu adhibita.

Barbę hircinę ſuccus ex vino ſumptus. vel ſuppoſitus.

Porri comæ decoctum ex aqua marina & aceto in deſeſſionibus.

Rubi ramorum decoctum epotum.

Arabicæ ſpinæ radix manducata.

Phœnix ex vino auſtero ebibita.

Papaueris nigri ſemen hauſtum.

Achillea ſubdita.

Idea radix epota.

Equiſeti folia bibita.

Mentha fotu ſubdita.

Iunci marini ſemen frixum, & ex vino diluto epotum.

Ocimaſt

Ocimastrum potum ex vino.
Anisum haustũ, præsertim ad alba pro fluuia.
Cuminum ex aceto impositum.
Nymphęæ flore luteo radix, & semen ex vino nigro pota.
Pæoniæ seminis grana 12. ex vino austero sumpta.
Lysimachiæ succus subditus.
Moly herba cũ loliacea farina indita.
Polygoni succus suppositus.
Symphyti petręi ex vino decoctum potum.
Clymeni succus haustus.
Limonij semen acetabuli pondere ex vino bibitum.
Medij radix elixa & ex melle in eclegmate sumpta.
Tragi ricini nu.10.ex vino hausti.
Hyoscyami semen oboli pondere in mulsa aqua potum.
Solani hortẽsis succus in lana inditus.
Mandragoræ semen cum sulphure & vino sumptum.
Semperuiuũ maius in vellere subditũ.
Vuarum vinaceorum decoctum haustum,& fotu appositum.
Labruscæ flos pessulo inditus.
Omphacium inditum.

Rubigo

Rubigo ferri ſubdita.
Chalcitis cum ſucco porri indita.
Vini fæx imo ventris ac pudẽdis illita.
Hæmatites lapis ex vino hauſtus.
Morochthus lapis in vellere inditus.
Oſtracites lapis drachmæ pondere ex vino ſumptus.
Samia terra cum ſylueſtris punicæ floribus hauſta.

MATTHIOLI.

Hyoſcyaminum oleum pubi, & lumbis illitum, aut ſuppoſitum.
Roſaceum vnguentum.
Maſtiches.
Iuniperinum gummi.
Creſpini baccarum vinum.
Hypociſtis ſæpe ex vino auſtero pota.
Roſacearum baccharum ſemen, & lanugo ex vino auſtero epotum.
Querna folia, glandes, & gallæ.
Suberis cortex tritus, & ex aqua calida potus.
Saccharum ex mali punici floribus paratum, & ex vino auſtero potum.
Myrteum condimentum pro intinctu vſurpatum.
Cydoniorum vinum, miua, oleum, cõfectio.
Meſpilorum decoctum, & meſpila ipſa deuo

deuorata.

Corna ſaccharo condita ſæpe eſitata.

Virgæ ſanguineæ baccæ.

Pruni ſylueſtris decoctum in deſeſſionibus.

Leporinum ſtercus ſuppoſitum.

Milij indici panicularum flores ex vino rubro.

Portulaca quoquo modo ſumpta.

Burſa paſtoris tũ deuorata, tum in deſeſſionibus addita.

Perſicaria maculoſa in deſeſſionibus ac etiam intus ſumpta.

Chelidonium maius mammis adhibitum.

Saluia arida ſuffita.

Flos ſolis cum radicibus contritus, & ex aqua plantaginis ſumptus.

Lunaria minor ex vino punicorũ pota.

Clematis prima femoribus adalligata.

Biſtortæ, & tormentillæ radicum decoctum in deſeſſionibus vſurpatum.

Piloſella tam in corpus ſumpta, quàm exterius vſurpata.

Caryophyllatæ radices potæ.

Pyrola
Potentilla
Sanicula
Auricula vrſi } quomodolibet vſurpata.

Frag

Fragariæ folia, & radices.
Solbaſtrella, ſeu ſanguiſorba.
Pulmonaria altera.
Amaranti purpurei flos potus.
Millefolium recens tuſum, & ſuppoſitum pubíque illitum.
Punicorum malorum acidorum vinum ebibitum.
Corallium tam potũ quàm ſuſpenſum.

DIOSCORIDIS.

Ad ſecundas pellendas.

Caſtoreum drachmarum duarum pondere cum pulegio bibitum.
Cyclamini alterius ſemen hauſtum.
Allij comæ decoctum fotu impoſitum.
Ariſtolochia cũ myrrha & pipere ſumpta, vel peſſulo indita.
Pulegium bibitum.
Thymi decoctum potui datum.
Thymbræ decoctum hauſtum.
Apij ſemen in potu ſumptum.
Marrubij decoctum ebibitum.
Stachios decoctum potui datum.
Artemiſiæ decoctum in deſeſſionibus adhibitum.
Circeæ radix quatuor librarum pondere contuſa, & in ſeptem dulcis vini heminis macerata per noctem diémq;

diémque tribus diebus epota.
Oenanthes semẽ, caulis, & folia ex mulso bibita.
Leucoij semen drachmarum duarum pondere ex vino haustum.
Rubiæ radix supposita.
Anagyris trita folia ex passo pota.
Chamæpytios ex melle subdita.
Chrysocome ex aqua mulsa hausta.
Trichomanes epota.
Bryonia supposita.
Myrrha ebibita.
Peucedani succus haustus.
Bunij semen epotum.
Smyrnij semen potui datum.
Adianti decoctum ebibitum.

MATTHIOLI.

Nardus Italica, aut Lauendula pota.
Cinnamomi vulgaris stillatitia aqua ebibita.
Balsamum factitium haustum.
Ari semen duabus drachmis potum.
Dictamni albi radices cum pulegio fotu adhibitę, aut ex meraco potę duarum drachmarum pondere.
Liliorum alborũ stillatitia aqua pota.
Artemisia recens cum myrrha, & irino oleo trita, & supposita.

DIOSCORIDIS.

Ad expellendum fœtum.

Caſtoreum duarum drachmarum pondere cum pulegio ſumptum.
Caniculæ lac primæ fœturæ hauſtum, mortuum pellit.
Oeſypus in lana ſuppoſitus.
Caprarum montanarum fimum cū aliquo odoramento potum.
Vulturis fimum ſuffitum.
Ciceris decoctum bibitum.
Lupinorum decoctum cum myrrha & melle fotu adhibitum.
Sium pro olere in cibo ſumptum.
Dracūculi maioris decoctum infuſum.
Piper hauſtum.
Cyclamini radix femori adalligata.
Hederæ foliorum pediculi melle illiti, ſubditi.
Gentianæ radix ſubdita.
Centaurij maioris radix indita.
Centaurij minoris ſuccus infuſus.
Pulegium epotum.
Dictamnum bibitum, inditum, incenſúmque.
Thymi decoctum hauſtum.
Thymbræ decoctum potui datum.
Baccharis recentiſſima radix ſuppoſita.

Panacis Herculei acuminata radix indita.
Paſtinacæ erraticæ radix ſubdita.
Seſelis Maſſilienſis radix pota,quinetiã & ſemen.
Galbanum cum myrrha & vino potum ſuffitúmque.
Clinopodium potum.
Chamedryos decoctum hauſtum.
Scordij ſuccus drachmæ pondere ſumptus.
Arthemiſiæ decoctũ in ſeſſionibus additum.
Conyzæ folia,& flores bibita.
Leucoij ſemen duarum drachmarum pondere ex vino potum.
Onoſmatis folia ex vino hauſta.
Rubiæ radix ſuppoſita.
Anagyris trita folia cũ paſſo pota,quin & adalligata,ſed ſtatim poſt partum auferantur.
Anchuſæ radix appoſita.
Mandragoræ liquor infuſus.
Myrrhis epota.
Heliotropij folia indita.
Sulphuris fumus in vterum permeans.
Dauci ſemen hauſtum.
Ammoniacum inſumptum.
Peryclymeni ſemen drachmæ pondere

in vino potum.

Lauri Alexandrinæ radix ſex drachmarum pondere ex dulci vino hauſta.

Alumen ſubditum.

Iaſpis lapis femori adalligatus.

Aetites lapis pro amuleto femori ſuſpenſus.

Samius lapis adalligatus.

MATTHIOLI.

Balſami factitij liquores omnes hauſti.

Sabina epota.

Dictamni albi radices cum pulegio fotu adhibitę, aut ex meraco drachmarum duarum pondere hauſtæ.

Calamintha ſeu pota, ſiue admota.

Artemiſiæ radix pota.

Botryos ſuffitus per muliebria exceptus.

Chamepytis altera recens in aceto decocta, & epota.

Chryſocolla mineralis ex ſabinæ ſucco drachmæ pondere pota.

MATTHIOLI.

Ad alleuiationem partus.

Iuniperinæ, & laurinæ baccæ cum cinnamomo in turturis ventre aſſatę, & alternis diebus deuoratæ.

Lauri baccæ ſeptem deuoratæ.

Cochleæ

Cochleæ ante tempus pariendi diebus aliquot comestæ.
Malua cum radice ad lentorem vsque decocta, & potui data.
Eiusdem succus epotus.
Cardiacæ herbæ siccæ farina cochlearis mensura ex vino albo pota.

MATTHIOLI.

Ad instantem pariendi difficultatem.

Suffitus ex cancris aridis in vuluam receptus.
Lingua chamæleonis adalligata.
Raphani cortex cum aliis nõnullis supp ositus. lege raphani commẽtarium.
Dictamnum cretense in potu propinatum cum suo ipsius decocto.
Dictamni albi radices cum pulegio suffitus, aut ex meraco potus duarum drachmarum pondere.
Liliorum alborum stillatitia aqua additis croco, & cassia odorata.
Lithospermi minoris seminis drachmę duæ lacte muliebri haustæ.
Cardiaca herba in puluerem trita pota ex vino albo calido cochlearis mensura.
Chrysocolla fossitia drachmæ pondere pota. Atqui dari non debet nisi

in magno diſcrimine vitæ.
Argentum viuum ſemiſcrupuli pondere deuoratum.

DIOSCORIDIS.

Ad conceptionem inhibendam.

Salicis folia per ſe, & cũ aqua ſumpta.
Leporinum coagulum poſt triduum à purgatione menſtrua ſumptum.
Sanguis menſtruus illitus.
Braſſicæ flores à puerperio in peſſulo ſubditi.
Aſparagi radix ſuſpenſa.
Piper à coitu illico ſubditum.
Hederæ corymbi drachmæ pondere à purgatione hauſti.
Hediſarum ante coitum feminis ſubditum.
Cedria virili membro illita
Oſtracites lapis ſicilici pondere 4. diebus à purgatione potus.
Aſplenum (vt quidam credunt) ſilente luna nocturno tempore decerptum cum muli liene ventri adalligatum.
Periclymeni ſemina, & folia diebus triginta ſex pota.
Epimedij folia trita illico à purgatione quinque diebus continuis bibita.
Gladioli inferior radix hauſta.

Fili

Filicis fœminæ radix potui data.
Heliotropium adalligatum.
Rubigo ferri epota.
Mentha ante coitum vuluæ admota.

MATTHIOLI.

Leporinum ſtercus ſuſpenſum.
Vinum in quo viuus mullus piſcis immerſus fuerit epotum.
Mulæ vngularum cinis hauſtus.

DIOSCORIDIS.

Ad conceptionem iuuandam.

Leporinum coagulum cũ butyro ſubditum ſtatim à menſium purgatione.
Loliacea farina cum myrrha, thure, bitumine, & croco ſuffita.
Paſtinacæ erraticæ ſemen hauſtum.

MATTHIOLI.

Saluiæ ſuccus heminæ menſura addito ſalis modico quaternis diebus potus.
Cuminum ſuppoſitum.
Imperatoriæ radix ex vino epota.
Alchimillæ ſeu ſtellarię puluis ex vino aut iure quindecim, aut viginti diebus continuis potus cochlearis menſura.
Oleum è momordica vteri oſculo inũctum ante veneris congreſſum.
Oleum è lapide gagate illitum.

DIOSCORIDIS.

Ad fœtum mortuum educendum.

Dictamnum tum potũ tum ſubditum.
Saluiæ decoctum bibitum.
Galbanum cum myrrha ex vino potũ.
Marrubij decoctum hauſtum.
Tuſſilaginis decoctum potui datum.

MATTHIOLI.

Balſami factitij liquores omnes hauſti
Centaurij magni radix.
Centaurij minoris ſuccus ſuppoſitus.
Pulegij decoctum epotum.
Calamintha tã pota, quàm ſuppoſita.
Botrys cocta ac ſuffita.
Chamæpytis ex aceto decoctum potum.
Chryſocolla foſſitia drachmæ pondere ex ſucco ſabinæ pota, ſed vbi tantũ vitæ periculum adſit.

DIOSCORIDIS.

Ad prohibendum abortum.

Actites lapis ſiniſtro brachio adalligatus.
Samius lapis pro amuleto ſuſpenſus.

MATTHIOLI.

Dactyli recentes cum infectorij cocci puluere deuorati.
Cydonia mala frequenter eſitata.

Saluia

Saluia ſæpe deuorata, vel ſaccharum ex eius floribus paratum.

Biſtortæ vel Tormentillæ radices epotæ, & ventri, lumbíſque ex aceto illitæ.

Coccum infectorium quotidie in ouo ſorbili propinatum thure modico addito, aut maſtiche. puluerem præſtantiſſimũ ad hoc habes li. 4. cap. 43.

Iaſpis lapis geſtatus.

DIOSCORIDIS.

Ad puerperia iuuanda.

Dictamni radix bibita.

Baccharis radicis decoctum fotu adhibitum.

Fœniculum erraticum potum.

Peucedani ſuccus hauſtus.

Pœoniæ ſiccata radix potui data.

Althææ decoctum infuſum.

MATTHIOLI.

Balſami factitij liquores omnes epoti.

Dictamni albi radices ſuppoſitæ, aut cum pulegio ſuffitæ, quin etiam ex meraco potæ duarum drachmarum pondere.

Menthaſtrum hauſtum.

DIOSCORIDIS.

Ad pragnantium malacias.

Vitis viniferæ foliorũ, capreolorũmq; ſuccus epotus.

DIOSCORIDIS.

Ad vteri inflammationes.

Nardi Indicæ decoctum fotu adhibitum.

Iunci odorati decoctum in deſeſſionibus adhibitum.

Viticis foliorum, & ſeminũ decoctum fotu appoſitum.

Butyrum recens illitum.

Sonchi ſuccus inunctus.

Agaricum drachmæ pondere cum oxy melite epotum.

Pulegij decoctum fotu ſubditum.

Melilotus cum paſſo emplaſtri modo impoſitus.

Panacis Herculei lachryma ex melle indita.

Arthemiſiæ decoctum in deſeſſionibus additum.

Leucoij decoctum fotu admotum.

Anthyllidis radix ex roſaceo, lactéque indita.

Parthenij decoctum in deſeſſionibus adhibitum.

Althæa decocta ſubinde anſerino, ſuil-

lóue

lóue adipe, aut reſina terebinthina ſubacta ſubdita.

MATTHIOLI.

Hyoſcyaminum oleum illitum.
Conſolidæ Regalis flores epoti.
Oleum de momordica illitum.

DIOSCORIDIS.

Ad exulceratos locos.

Aſpalathi ex vino decoctum infuſum.
Lac in quo igniti calculi extincti fuerint infuſum.
Oeſypum inditũ, explet enim & emollit.
Fœnogræci folia ex aceto illita.
Aſclepiadis folia adhibita.

MATTHIOLI.

Malicorium cum marina ſpongia exiccatum additis aloë, & alumine.
Solidaginis mediæ, & minoris farina inſperſa, aut ſuccus illitus, aut infuſus.

Sanicula, Auricula vrſi, Piloſella, Pyrola, Potentilla } adhibita.

Oleum è momordica ſyphone iniectũ.

DIOSCORIDIS.

Ad induratos locos.

Myrrha cum abſcinthio lupinorũ cremore vel ruta admota.
Styrax illita.
Anſerinus, & gallinaceus adeps illitus.
Bdellium inunctum.
Maluæ decoctum inditum.
Ladanum peſſis immiſſum.
Panaces Herculeum ex melle inditum.
Ebuli, ſambucíque decoctum fotu admotum.
Parthenij decoctum in deſeſſionibus.
Fœnigræci ex aqua expreſſus ſuccus cum anſerino adipe in peſſulo ſubditus.
Lilij radix admota.
Ageratum ſuffitum.

MATTHIOLI.

Amygdalinum oleum.
Seſaminum oleum.
Oleum ex ouorum vitellis.
Ceruina, & vitulina medulla.
Lini ſeminis oleum.
Oleum liliorum alborum.
Lupuli florum decoctum in deſeſſionibus vſurpatum.

Dioſc

DIOSCORIDIS.

Ad vteri inflationes.

Rutæ ex oleo decoctum clystere perfusum.

Geranium, & eius radix drachmæ pondere pota.

MATTHIOLI.

Galanga.

Cubebæ.

Cinnamomi stillatitia aqua.

Balsami factitij liquores, & oleum in potionibus.

Cnicinum oleum.

Laurinum oleum.

Scorpionum oleum in potu datum, aut exterius illitum.

Castoreum cum pipere albo, & mellicrato epotum.

Milium cum sale impositum.

Sisymbrium in calenti tegula calefactum & odorato meraco aspersum ventríque applicatum.

Dictamni albi radices duarum drachmarum pondere ex meraco haustæ.

Mentha græca in placentis addita aut eius folia tenui pulticula illita, & deinde in oleo aut butyro frixa, & deuorata.

Carum

Carum quouis modo vſurpatum.
Imperatoriæ radix hauſta ex meraco.
Matricaria quoquo modo adhibita.

MATTHIOLI.

Ad molam expellendam.

Balſamum factitium epotum.
Dictamni albi radices ſuppoſitæ aut cũ pulegio ſuffitæ, aut ex meraco duarum drachmarum pondere bibitæ.

MATTHIOLI.

Ad vteri frigiditates.

Nardus Italica.
Lauendula.
Cucubæ.
Cinnamomi ſtillatitij aqua.
Balſamum factitium, & eius liquores omnes.
Nux myriſtica.
Scorpionũ oleum in vini potione ſumptum & forinſecus applicatum.
Dictamni albi radices, aut cum pulegio ſuffitæ, aut ex vino meraco potæ duarum drachmarum pondere.
Mentha græca tam fotu, quàm potu vſurpata.
Carum quouis modo ſumptum.
Imperatoriæ radix ex vino epota.
Matricaria quomodolibet vſurpata.

Matth

MATTHIOLI.

Ad vuluam cohibendam.

Nucum ſiue viridium conorum pinei ſtillatitia aqua cum linteolis in ea madefactis admota.

MATTHIOLI.

Ad delectandas fœminas in coitu.

Fel { Auratæ / Lucij / Perdicis / Gallinacei } coli virili inunctus.

Zibetum peni illitum.

DIOSCORIDIS.

Ad procidentem vterum.

Caſia fotu, vel ſuffitu adhibita.

Myrti baccarum ſuccus in deſeſſionibus.

Cotoneorum malorum decoctum fotu adhibitum.

Gallarum decoctum in ſeſſionibus adhibitum.

Acacia ſubdita.

Hypociſtis ſubdita.

Vrticæ vtriuſque folia impoſita.

Acetum fotu admotum.

MATTHIOLI.

Maſtiche aſperſa.

DIOSCORIDIS.

Ad vteri dolores & erosiones.

Adeps { Anserinus / Gallinaceus } illitus.

Vrina cum liguſtrino oleo feruefacta impoſita.

Lini ſeminis decoctum infuſum.

Maluæ decoctum fotu adhibitum.

Portulacæ decoctũ clyſmate inditum, propriè facit ad eroſiones.

Rhaponticum potum.

Centaurij maioris radix hauſta.

Anethi decoctum in deſeſſionibus.

Verbenacæ rectæ folia ex recenti ſuillo adipe, vel ex roſaceo ſubdita.

Hyoſcyami ſeminis cremor impulſus.

Mandragorę liquor peſſulis impoſitus.

MATTHIOLI.

Irinum oleum illitum.

Cinnamomi ſtillatitia aqua epota.

Amygdalinum oleum hauſtum.

Laurinum oleum inunctum.

Balſami factitij liquores omnes.

Nucis myriſticæ decoctum ex rhodomelite, & aqua vitæ potum.

Nuces myriſticæ cum matricariæ radicibus ex vino albo coctæ, & potui datæ.

Scorp

Scorpionum oleum in potione ſumptum, aut foris admotum.
Caſtoreum cum pipere albo ex mellicrato.
Siſymbrium cum parthenio in calenti tegula calefactum, & odorato meraco aſperſum, & impoſitum ventri.
Succiſæ radicum decoctum ex vino paratum.
Chelidonium maius cũ radice tuſum & oleo chamæmelino feruefactum & imo ventri admotum.
Dictamni albi radices ex meraco vino hauſtæ.
Mentha græca in placentis addita.
Imperatoria quouis modo inſumpta.
Vincetoxici radices in deſeſſionibus additæ.
Oleum liliorum alborum, & è lini ſemine calidum cum ſuccida lana ventri adhibitum.
Botrys recens in tegula calefacta, & cretico vino aſperſa, & applicata.
Aliud ſimile medicamentum, ſed præſtantius vide lib. 3. cap. 113.
Matricaria quoquomodo adhibito.

EX

EXTREMORVM MEMBRORVM.

DIOSCORIDIS.

Ad podagram.

Amomum illitum.
Mei radices impositæ.
Populi nigræ folia ex aceto illita.
Amurca cruda, ac recẽs fotu adhibita.
Salicis foliorum, & corticis decoctum fotu impositum.
Ficulneum lac cum farina fœnugræci & aceto cataplasmatis additum.
Cochleæ terrestres suo cum operimento tusæ impositæ.
Mustellæ crematæ cinis ex aceto inunctus.
Marinus pulmo recens concisus impositus.
Lac humanum cum opio,& cera illitũ.
Adeps ouillus,caprillus, hircinúsue ex eiusdem animalis fimo coactus inunctus.
Sanguis menstruus illitus
Caprarum montanarum fimum ex earum adipe emplastri modo adhibitum.
Hordei farina cum coroneis malis imposita.
Lens cum polenta decocta, & emplastri modo apposita.

Rapor

Raporum decoctum fomentis additũ.
Brassica cum fœnogræco & aceto in cataplasmate.
Intybus per se,& cum polenta illitus.
Cucurbitæ ramenta imposita.
Ari radix fimo bubulo emplastri modo excepta.
Asphodeli radix drachmæ pondere ex vino pota.
Cyclamini decoctum fotu adhibitum.
Bulbi per se,& cum melle impositi.
Panaces Herculeum cum passa vua appositum.
Libanoris cum loliacea farina , & aceto cataplasmatis addita.
Scordium ex aceto,aut aqua impositũ.
Leucoium ex aceto illitum.
Androsaces imposita.
Helxines succus cera & hircino adipe exceptus.
Hyoscyami semen, & folia cum polenta cataplasmatis adhibita.
Semperuiuum inunctum vbi calor exuperat.
Vrtica emplastri modo imposita.
Muscus marinus applicatus.
Cucumeris asinini radix ex aceto additа.
Thapsiæ succus illitus.

Glans vnguentaria illita.
Sambuci, & ebuli folia cum ſeuo taurino, aut hircino impoſita.
Brionia cum caprino ſtercore cataplaſmatis addita.
Heliotroprij folia illita.
Vua paſſa à nucleis repurgata, & cum panacis ſucco inuncta.
Acetum calido fotu cum ſulphure adhibitum.
Rubigo ferri illita.
Sulphur cum aqua, & nitro inunctum.
Sal cum aceto impoſitum.
Aſius lapis cum fabarum lomento illitus.
Gagates lapis impoſitus.
Fornaceæ teſtæ exuſtæ appoſitæ.

MATTHIOLI.

Oleum irinum è floribus paratum.
Aſarina aut eius decoctum potum.
Santalum rubrum è ſedi ſucco aut ſolani, aut portulacæ illitum.
Muſcus terreſtris ex aqua decoctus & admotus.
Terebinthina reſina, aut larigna cum chamæpity deuorata.
Iuniperini ligni decoctum pro balneo vſurpatum, vide Iuniperi commentarium.

Oleum

Oleum è luteis ouorum illitum.
Oleum è terrenis vermibus.
Faba fresa cocta, & cum adipe suillo subacta, & imposita.
Plantago trita, & illita.
Dracunculi radix cum melle, & caprino fimo illita.
Ari folia calenti fimo bibulo illita & imposita.
Aristolochia rotunda.
Thymi aridi semuncia cum oxymelite hausta.
Cannabis satiuæ radix in aqua decocta & adhibita.
Chamępitys decoctũ cum rhodomelle, & oxymelite pluribus diebus haustum.
Cortusæ florum oleum illitum. Parandi rationem lib. 4. comment. de lagopo.
Primula veris illita, ac deuorata.
Verbasci minoris folia in aqua decocta & admota.
Eiusdem florum oleum inunctum.
Genistæ florum conserua ex saccharo parata, frequenter deuorata.
Ricini semen ex iure veteris galli decoctum, & epotum.
Sambuci tenerrima folia primo ger-

minatu prodeuntia, cum pari pondere radicum plantaginis, ſuillæque axungiæ veteris contrita, & adhibita emplaſtri modo.
Colocynthis in catapotiis deuorata & clyſteribus addita.

DIOSCORIDIS.

Ad coxendicos affectus.

Mei radices impoſitæ.
Helenij folia ex vino cocta adhibita.
Iridis Illyricæ decoctum clyſmate infuſum.
Cardamomum ex aqua epotum.
Aſarum potum, vel clyſtere infuſum.
Populi albæ cortex vnciæ pondere hauſtus.
Iberis contuſa, & emplaſtri modo impoſita.
Siluri piſcis ſalſamentum clyſteribus infuſum.
Piſcium garum clyſteribus iniectum.
Smyrnij ſemen potum.
Bubulum fimum ex bobus in paſcuis degentibus appoſitum.
Lolij farina ex aqua mulſa decocta impoſita.
Lupinorum farina ex aceto illita.
Ammoniacum ebibitum.
Aſcyri ſemen ex aqua potum.

Asparagi radicum decoctum haustum.
Althææ decoctum potui datum.
Sinapi cum fico tritum impositũ, donec ruborem excitat.
Nasturtium clysmate infusum.
Irionis semen clystere iniectum.
Bulbi per se, & cum melle impositi.
Capparis semen epotum.
Lepidij folia, & radices cum helenij radice trita, & imposita.
Agaricum trium obolorum pondere in aceto mulso epotum.
Rhaponticum haustum.
Androsæmi semen bibitum, sed à purgatione aquam exorbere oportet.
Centaurij maioris decoctum clystere infusum.
Leucacāthæ radicis ex vino decoctum ebibitum.
Abrotoni semen cum aqua potum.
Rubiæ radix epota.
Pulegium illitum quousque rubescat cutis.
Calamintha imposita recens, tritáque donec exuratur locus.
Thymus ex fimo cum polenta impositus. Idem præstat & Thymbra.
Rutæ syluestris semen quadraginta diebus potum.

Panaces Herculeum ex melle inunctũ.
Laſer cera, liguſtrino, & irino oleo ſubactum, illitum.
Ephorbium in odorata potione ſumptum.
Leontopetalum clyſteribus infuſum.
Hyperici ſemen quadraginta diebus hauſtum.
Chamæpityos folia quadraginta diebus ex aqua dulci ebibita.
Betonicæ folia ex aqua hauſta.
Polemoniæ radix ex aqua ſumpta.
Xyridis radix ex mulſo pota.
Ocimaſtri ſemen cum vino, myrrha, & pipere ſumpta.
Quinquefolij radicis decoctum epotum.
Helichryſi coma ex vino hauſta.
Papaueris corniculati radicis decoctũ epotum.
Aethiopis decoctum bibitum.
Arction ex vino bibitum, & illitum.
Chamæciſſi folia trium obolorum pondere in aquæ cyathis tribus tricenis quadragenísve diebus epota.
Colocynthis clyſtere infuſa, & recens loco confricata.
Cucumeris ſylueſtris radix clyſmate impulſa.

Scammonia ex aceto decocta, & cum hordeacea farina imposita.
Acetum mulsum haustum.
Sory ex vino clystere infusum.
Muria clystere indita.
Adarces illitus.

MATTHIOLI.

Asari decoctum, siue dilutum ex caprino sero paratum haustum.
Balsami factitij liquor secundus, tum haustus, tum illitus.
Abiegna lacryma deuorata.
Nuclei pinei frequenter sumpti.
Terebinthina, aut larigna resina sumpta vnciæ pondere addito chamæpitys, aut stœchadis puluere.
Castoreum drachmæ pondere potum cum tribus opopanacis obolis.
Ibicis stercoris admirabile medicamẽtum; vide lib. 2. comment. de stercore.
Fabalium caulium, & siliquarum cinis cum vetere axungia illitus.
Lupinorum farina cocta, & cataplasmatis modo illita.
Siliquastri recentia cornicula tusa & adhibita.
Agaricum in potionibus additum.
Thymi aridi semuncia cum oxymeli-

te hauſta.
Sagapenū quoquo modo adhibitum.
Euphorbium ex leucoij oleo illitum.
Artemiſiæ aridę puluis trium drachmarum pondere ex vino hauſtus.
Bellidis genera omnia quouis modo vſurpata.
Chamæpitys in puluerem cum radicibus trita & cum terebinthi lacrhymæ drachmis quatuor excepta, & quotidie diebus quadraginta deuorata.
Oleum flammulæ calidum inunctum aut clyſteribus infuſum.
Conſolidæ regalis flores epoti.
Daphnoidis recentia folia contuſa, & illita donec rubeſcat locus.
Saccharū è geniſtæ floribus paratum.
Ricini ſemen ex iure veteris galli decoctum epotum.
Colocynthis in catapotiis deuorata,& in clyſteribus adhibita.

DIOSCORIDIS.

Ad articulorum dolores.

Gallorum ſeneſcentium ius potum.
Braſſica cum fęnogręco,& aceto illita.
Ruta tum hauſta, tum cataplaſmatis adhibita.
Agaricum drachmę pondere ex aceto mulſo

mulſo ſumptum.
Meliſſophyllum ex ſale impoſitum.
Quinquefolij radicis decoctũ bibitũ.
Pſyllium ex roſaceo,& aceto,aut aqua illitum.
Mandragoræ radix cum polenta impoſita,
Vrtica cataplaſmatis modo adhibita.
Veratrum nigrum hauſtum.
Fucus marinus recens impoſitus.
Thapſiæ ſuccus inunctus.
Narciſſi radix trita , & ex melle impoſita.
Acetum mulſum potum.
Vinum mellitites frequenter hauſtum.

MATTHIOLI.

Irinum oleum inunctum.
Balſamum factitium illitum.
Oleum flammulæ inunctum , & clyſteribus additum.
Cortuſæ herbe oleum, vide lib.4.commento de lagopo, primula veris herba.
Abiegna,lentiſcina , terebinthina larignáque lachrima vnaquaque per ſe deuorata.
Maſtiche cum cumino, pulegio, ſaluia lauri baccis , & ſabina omnia melle excepta,& impoſita.

Cochleæ cum testis tritæ, & impositæ.
Oleum è terrenis vermibus.
Sagapenũ quomodolibet adhibitum.
Oleum liliorum alborum illitum.
Cannabis radix in aqua decocta & adhibita.
Chamæpitys decoctum cum rhodomelle & oxymelite pluribus diebus epotum.

MATTHIOLI.

Ad diuturnos articulorum dolores.

Ligni Guaiaci, Chinæ, Zarzæ aprillæ } decoctum diebus 40. potum.

MATTHIOLI.

Ad genuum dolores.

Oleum è nucibus Indicis.

DIOSCORIDIS.

Ad articulorum collisiones.

Sarmentitius cinis cum axungia vel oleo illitus.

DIOSCORIDIS.

Ad articulorum tophos.

Cannabis sylvestris radix decocta, & illita.
Ochra inuncta.

MATTHIOLI.

Oleum Indicæ nucis illitum.
Taxi pinguedo.
Muris montani pinguedo.
Sagapenum emplastri modo impositũ addito aceto,& capparum succo.
Oleum liliorum alborum.

DIOSCORIDIS.

Ad perniones.

Thus cũ suillo adipe,aut anserino impositum.
Pix liquida inuncta.
Acacia illita.
Myrti seminis decoctũ fotu adhibitũ.
Ficus crematæ cum cerato impositæ.
Cancrorum fluuiatilium cinis cum decocto melle illitus.
Pulmo marinus recens concisus,& impositus.
Asininæ vngulæ cinis oleo maceratus illitus.
Vrsinus adeps inunctus.
Vmbilici veneris succus impositus.
Lentes cum meliloto, siccis rosis,malicorio, cydonio malo, & rosacco adhibt iæ.
Orobi decoctum fotu impositum.
Raporum decoctum fomenti modo.

Betæ

Betæ decoctum appositum.
Dracunculi maioris folia ex vino decocta imposita.
Oleum ex incauata asphodeli radice decoctum illitum.
Cyclamini decoctum fotu adhibitum, quin etiam oleum cũ pauca cera in eius excauata radice feruefactum illitum.
Scilla cremata imposita.
Ranunculi decoctum adhibitum.
Arction ex vino additum.
Alumen aqua aspersum.

MATTHIOLI.

Malicorium ex vino decoctum impositum.
Cancrorum exustorum cinis oleo subactus, & impositus.

MATTHIOLI.

Ad pedum tumores.

Tiliæ folia ex aqua aspersa.

DIOSCORIDIS.

Ad pedum inflammationes ex calceorum attritu.

Adeps { Agninus / Vrsinus / Suillus } impositus.

Calceamentorum veterum soleæ com bustæ, & admotæ.
Cæpæ succus cum adipe gallinaceo im positus.

MATTHIOLI.

Leporinus pulmo impositus.
Vnguentum ex rosaceo in mortario plumbeo cũ simili pistillo paratum inunctum.

DIOSCORIDIS.

Ad pedum rimas.

Cancrorum fluuiatilium cinis cum decocto illitus.
Scilla oleo feruefacta, & cum resina im posita.

MATTHIOLI.

Oleum ex ouorum vitellis.
Oleum ex tritico.
Lixiuium ex cinere ſarmẽtitio factum cum aceto, ſale, & melle.

MATTHIOLI.

Mumia cum caſſię ſolutiuæ, pulpa lemnia, ſphragide, & rubeæ radice deuorata.
Cammarorum lapilli cum tiliæ carbonibus ſumpti.
Plantaginis folia non ſolùm illita, ſed & deuorata.
Cyani maioris puluis ex aqua plantaginis aut ſymphyti abſorptus.
Cyclaminis ſtillatitia aqua cum ſaccharo epota.
Rhabarbarum cum mumia, & erithrodani radice hauſtum.
Ariſtolochia rotunda.
Vincetoxici radices ex vino aut ſymphyti maioris decocto ebibitæ.
Lunaria minor potu ſumpta.
Biſtortæ, vel tormentillæ ſuccus, aut puluis ex ſymphyti maioris aqua hauſtus.
Conſolida minor, & media in potionibus vulnerariis addita.

Sanicula
Auricula vrsi
Pilosella
Virga aurea } quoquo modo sumpta.
Potentilla
Alchimilla
Ophris

DIOSCORIDIS.

Ad ruptos.

Acori decoctum potum.
Cardamomum ex aqua epotum.
Calami odorati decoctum cum graminis aut apij semine bibitum.
Helenij radices in eclegmate cum melle deuoratæ.
Bdellium haustum.
Iuniperi baccæ bibitæ.
Cedrides deuoratæ.
Halimi radix drachmę pōdere in aqua mulsa pota.
Dracunculi maioris radix tosta, & elixa cum melle sumpta.
Asphodeli radix drachmæ pondere in vino pota.
Bulbi elixi in aceto & in cibo sumpti.
Agaricum trium obolorum pondere cum mulso deuoratum.
Gentianę radicis succus drachmæ pondere

dere hauſtus.
Ariſtolochia rotunda bibita.
Serpyllum potum.
Centaurij maioris radix cum vino e-
pota.
Acanthi radices ebibitæ.
Smyrnij radix comeſta, vel pota.
Leucacanthæ radices ex vino decoctũ
epotum.
Abrotoni ſemen ex aqua potum.
Origanum cum ficu deuoratum.
Equiſeti radix, & folia pota.
Calaminthæ decoctum hauſtum.
Baccharis radicis decoctum bibitum.
Libanotis radices potæ.
Sagapenum bibitum.
Laſerpitij liquor cum lixiuio potus.
Galbanum deglutitum.
Polycnemon cum vino bibitum.
Scordium additis naſturtio, melle, re-
ſináque deuoratum.
Althææ decoctum potum.
Alceæ radix in vino, vel aqua pota.
Betonicæ folia drachmæ pondere in
aqua dulci bibita.
Symphytum petræum cum aceto mul-
ſo potum.
Symphyti radix pota.
Xyridis radix ex mulſo epota.

Helichrysij coma in vino ebibita.
Verbasci decoctum potu sumptum.
Bryonia cum melle in eclegmate deuorata.
Schistus lapis haustus.

MATTHIOLI.

Ophioglossum ex equiseti aqua potum.
Rhabarbarum cum mumia, & rubiæ radice haustum.
Vincetoxici radices ex vino aut maioris symphyti decocto epotę.
Lunaria minor ebibita.
Bistortæ, & tormentillæ radicum puluis ex symphyti maioris aqua potus.

Sanicula
Auricula vrsi
Pilosella
Virga aurea
Potentilla
Alchimilla
Ophris

} quomodolibet sumpta.

Perfoliata in vino decocta, aut in puluerem trita,& epota.

MATTHIOLI.

Ad caluariæ fracturam.

Gummi elemi.

Pilose

Piloſella & eius ſuccus in vnguentis additus.
Ophris quoquomodo illita.

VENENORVM.

DIOSCORIDIS.

Ad omnium venenorum morſum aut ictum.

Iridis Illyricæ radix ex aceto pota.
Cardamomum ex vino epotum.
Nardus celtica cum abſinthij decocto hauſta.
Phu antidotis inſeritur, quæ venenatis reſiſtunt morſibus.
Cinnamomum bibitum.
Caſia potui data.
Helenij radicis decoctum potum.
Bdellium potui datum.
Platani pilulæ ex vino hauſtæ.
Ericæ flores poti, quin etiam coma.
Viticis ſemen in potu ſumptum.
Glandes eſitatæ.
Nuces comeſæ.
Sycomori lachryma illita.
Ficulneum lac plagis inditum.
Pix liquida cum trito ſale illita.
Paliuri foliorum, & radicis decoctum hauſtum.

Gallinaceorũ cerebrum cum vino potui datum.

Erucæ, quæ in oleribus reperiuntur ex oleo illitæ.

Coagulum { Leporinum, Agninum, Hinnulinum, Aprinum, Ceruinum, Vitulinum, Bubalinum, Hœdinum, Capreæ laticornis } potũ ex vino trium oboloru põdere.

Marinæ teſtudinis ſanguis cum leporino coagulo, & cumino potus.

Mel ex calido roſaceo bibitum.

Triticea farina ex aceto & vino impoſita.

Porri ſuccus ex melle ſumptus, quinetiam & coma illita.

Porrum ſylueſtre eſitatum.

Piper quoquo modo ſumptum.

Eryngium ex vino hauſtum.

Teucrium ex aceto inunctum.

Argemone ex vino epota.

Agaricum trium obolorum pondere ex vino hauſtum.

Rhaponticum potui datum.

Cham

Chamędrys ex vino bibita.
Gentianæ radix drachmę pondere cum pipere,& ruta ex vino pota.
Aristolochia longa drachmæ pondere potui data,& etiam plagæ admota.
Origani decoctum haustum.
Leucas ex vino sumpta, vel cataplasmatis addita.
Pulegium ex vino potui datum.
Dictamni succus ex vino propinatus.
Baccharis radix ex vino hausta.
Panacis herculei semen cum aristolochia sumptum.
Ligustici tum radix tum semen haustum.
Pastinacæ erraticæ semẽ potui datum.
Anisum epotum.
Asclepiadis radices ex vino sumptæ.
Cuminum ex vino haustum.
Ammi cum vino potui datum.
Delphinium morsui admotum.
Laserpitij liquor tum iunctus, tum epotus.
Galbanum inunctum homines tutos reddit.
Clinopodium haustum.
Trifolij bituminosi folia ex oxymelite sumpta.
Polij decoctum ebibitum.

Beton

Betonicæ folia trium drachmarũ pondere ex vini ſextariis hauſta vel admota.
Poligoni ſuccus potus.
Clematis prima illita.
Sparganij radix ex vino pota.
Acida muria plagæ indita
Terra lemnia hauſta.
Sal cum origano, melle, & hyſſopo illitum.

MATTHIOLI.

Phu radix non modò hauſta, ſed & olfacta.
Cinnamomi ſtillatitia aqua pota.
Myrrha ex vino hauſta.
Caphura epota.
Dictamni albi radices ſumptæ.
Oleum noſtrum è ſcorpionibus cordi & arteriis illitum.
Humani ſtercoris ſtillatitia aqua bibita.
Scorzoneræ foliorum, & radicum ſuccus ebibitus.
Porri folia melle ſubacta, & impoſita.
Caryophyllorum flores ſaccharo conditi, & deuorati.
Zedoaria cum pota, tũ exterius illita.
Boni Henrici ſuccus hauſtus.

Agar

Agaricum tum foris illitum, tum haustũ drachmę pondere cũ vino diluto.
Cruciatæ radices.
Dictamnus albus.
Mẽthastri folia tam pota, quàm illita.
Galega contusa, & vulneri adalligata, seu eius succus epotus.
Imperatoriæ radix.
Vincetoxicum.
Carduus benedictus tam intro sumptus, quàm icto loco adhibitus.
Securidacæ vtriusque semen potum.
Hypericum cum intus sumptum, tum exterius demorso loco illitum.
Bistorta.
Tormentilla.
Angelica.
Boraginis
Vulgaris buglossi } succus epotus.
Quinta essentia nostra in præfatione lib. 6. descripta semiunciæ pondere.
Galli vel gallinæ podex deplumatus & vulneri superpositus, repetitis tot gallis quousque sat sint ad reuocandum venenum.
Theriaca.
Mithridatis antidotum.
Calx vino, oleo, & melle subacta illita.
Ellebori nigri radix vulneri infixa.

Cæpa
Allium
Aſphodeli radix
Dracunculi radix
} elixa, & contuſa morſibus adhibita.

Radices { Iridis
Ari
Phu
Chamæleonis
Lilij
Hemerocallis
Helenij
Fœniculi
Smyrnij
Gladioli
Scillæ
Sparganij
Cyclamini
Bryonię
Raphani
Bulbaceorũ oĩum } conciſæ ac decoctæ & vulneribus illitæ.

Citria mala deuorata.
Serpentinæ ſiue ſylueſtris coronopi radix epota.
Theriaca Andromachi.
Superſtitioſum remedium eremitæ cuiuſdam, vide lib.6.commento communis curationis in omnes virulentos ictus.
Lapis bezahar duodecim granorum ponder.

pondere hauſtus, & vulneri illitus.
Sordes in ceruorum oculorum angulis reperta pota, & illita.
Melitea terra pota ex vino.
Antidotum noſtrum lib. 6. in præfatione deſcriptum ex vino.
Potio ex antidoto noſtro, & aqua vitæ eodem in loco deſcripta.

DIOSCORIDIS.

Ad viperarum morſum.

Coſtus ſemunciæ pondere potus.
Caſſia potui data.
Pix liquida illita.
Iuniperi folia, & foliorum ſuccus potui datus.
Fraxini folia, vel eorũ ſuccus hauſtus.
Lauri folia admota.
Abrotonum illitum.
Galbanum ſplenij loco ſuper ictum locum adhibitum.
Origanum virens inditum.
Pulli gallinarum diſcerpti, & cõfeſtim admoti
Anthemis detrita cum hordeacea farina, & mulſo & aceto cataplaſmatis modo admota, ſed locus antea aceto mulſo calido foueatur.
Rubi folia ex vino illita.

Porri

Porri ſuccus ex meri hemina hauſtus.
Apiaſtri ſuccus ex vino epotus.
Leporis coagulum potui datum.
Omotarichi piſcis ſalitæ carnes in cibum ſumptæ, hauſto deinde copioſiore vino, quinetiam admotæ.
Cerui genitale tritum, & ex vino ſumptũ.
Vrina ipſiuſmet demorſi bibita.
Furfures triticei in decocto rutæ elixi admoti.
Erui farina ex vino macerata illita.
Raphanus inunctus.
Braſſicæ ſuccus cũ nitro & iride potus.
Chondrylla manducata.
Allium ex vino ſumptum.
Scilla decocta in aceto, & impoſita.
Anagallidis ſuccus ex vino hauſtus.
Ferulę medulla in vini potione ſumpta
Aparinæ ſuccus ex vino potui datus.
Rubię radicis ſuccus cum foliis potus.
Tribuli terreſtris ſuccus drachmæ pondere potus, plagæq́; admotus.
Anchuſæ Alcibiadis nomine folia radicéſq; tum comeſta, tum bibita, tum adalligata.
Ocimaſtri ſemen ex vino hauſtum.
Sambuci, Ebulíq; radix ex vino cocta potui data.
Bryoniæ radix duarum drachmarum pond

pondere hauſta.
Vitium ſarmentorum cinis ex aceto illitus.

MATTHIOLI.

Lapis Bezahar tam potus quàm illitus.
Sordes in angulis oculorum cerui reperta tum pota, tum etiam illita.
Antidotum noſtrum in lib. 6. præfatione deſcriptum potum.
Potio ex antidoto noſtro, & aqua vitæ ibidem deſcripta.
Viperei paſtilli poti.
Oleum noſtrum de ſcorpionibus cordi, & arteriis illitum.
Theriaca Andromachi vino epota.
Allium plurimũ deuoratum ante cruẽtam vrinam.
Vinum meracum copioſe bibitum excitatis vomitibus.
Vipera ipſa excoriata reſciſſis capite, & cauda, interioribúſque exemptis, & anguillarum more cocta, & deuorata.
Viperæ viuæ caput amputatum molliculа prehenſum, & morſui adalligatum ea parte adhuc calente quæ à reliquo corpore abſciſſa eſt.
Gallina viua diſſecta, & calens morſui impoſita.

Cucurbitula loco demorſo appoſita.
Fraxini foliorũ ſuccus potus poſt appoſitam cucurbitulam, & expreſſa à ſucco folia vulneri illita.
Meliſſophylli folia, & ſuccus tum ex vino potus tum exterius illitus.
Melanthij drachmæ quatuor hauſtæ.
Cancri fluuiatiles cum lacte triti, & epoti, ac vulneri quoque illiti.
Ranæ coctæ, & in cibum ſumptæ, epoto deinde earum iure.
Teſtudinis ſanguis exiccatus cum ſylueſtri cumino potus.
Anchuſæ radix in potionibus addita.
Hematites lapis hauſtus.
Heliotropium cum vino ebibitum.
Raphani in cibo accepti, & deinde vomitione reiecti exhibita ſtatim Andromonachi theriaca.
Trifolij bituminoſi decoctum fotu adhibitum.
Allium cum aceto, aut ſuo ipſius, aut fraxini cinere cum pane illitum.
Haſtulæ regiæ radices tuſæ, & illitæ.
Sicomori folia cum pane impoſita.
Lauri tenella folia cocta, & oleo ſubacta & applicata.
Vipera tota contuſa, & vulneri adalligata.

Echij epotus ſuccus, & herba ipſa impo ſita.

DIOSCORIDIS.

Ad ſerpentium, & aſpidum morſum.

Cancri fluuiatiles crudi, tritíque cum aſinino lacte potui dati.
Equi fluuiatilis teſticulis potus.
Caſtorium bibitum.
Muſtellæ ſalitæ, & in vmbra exiccatæ puluis drachmarũ duarum pondere ex vino ſumptus.
Ranæ cum ſale in oleo decoctæ comeſtæ.
Gobius piſcis deuoratus.
Cinices lectularij ſeptem quoquo modo hauſti.
Aprinum iecur, & recens, & ſiccum ex vino ſumptum.
Gallinaceorum carnes diſſectæ, ita vt tepebũt appoſitæ, crebróq; mutatæ.
Butyrum illitum.
Caprarum montanarum fimus in vino vel aceto decoctus illitus.
Mel ex calido roſaceo bibitum.
Aſphodeli radix trium drachmarum pondere ſumpta, quinetiam & folia flores, & radices in cataplaſmatis ad dita.
Naſturtium hauſtum.

Spinæ albæ ſemen potum.
Abrotonum ſumptum ex vino.
Hyſſopum tritum cum melle, ſale, & cumino impoſitum.
Nepeta pota, vel cataplaſmatis indita.
Panacis Aſclepij ſemen cum floribus hauſtum, & inunctum.
Panaces chyronium bibitum, & illitũ.
Hieracij ſuccus ex vino potus.
Elaphoboſci ſemẽ in vini potione ſumptus.
Euphorbium inciſa capitis cute ad os vſque in vulnus impoſitum ſtatimq; conſutum.
Leutopetalum bibitum illico dolorem aufert.
Lilij folia illita.
Meliſſophyllum ex vino hauſtũ, & plagæ admotum.
Marrubij folia hauſta.
Serpyllum tum potum, tum impoſitũ.
Ruta cum nucibus iuglandibus, & caricis ſumpta.
Phyllitis ex vino bibita.
Smyrnij radix illita.
Fœniculum ex vino ſumptum.
Sagapenum in vino potui datum.
Libanotis radices cum vino epotæ.
Scordium ſiccatum ex vino potum.

Conyza illita.
Clematis in aceto bibita.
Echij radix ex vino pota. Prępota verò demorderi prohibet, ad quod præstant semen, & folia.
Ocimastri semen potum.
Eupatorij semen, & folia in vino sumpta.
Helichryssij coma ex vino bibita.
Verbenacæ supinæ radix, & folia ex vino hausta, tum etiam admota.
Mandragoræ radix ex melle, aut oleo illita.
Nerij radix ex vino pota.
Acetum calidum fotu adhibitum vbi illatum venenum frigidum sit, frigidum vero, vbi calidum.
Adianti decoctum ebibitum.
Aqua maris fotu adhibita.
Sal cum origano, melle, & hyssopo inunctum.
Sarmentitius cinis ex aceto illitus.
Samia terra ex aqua pota.
Ophites lapis pro amuleto gestatus.

MATTHIOLI.

Myricæ fructus potus.
Oleum nostrum de scorpionibus cordi & arteriis inunctum.

Gallinaceorum depulmatus podex plagæ appoſitus.
Sordex ex angulis oculorum ceruorum exemptæ, hauſtæ, & illitæ.
Cicerum farina cum hyperico decocta & impoſita.
Maluæ folia cum porris, & cæpis illitæ.
Betæ nigræ ſuccus cum potus tum illitus.
Serpentinæ radix ex vino ſumpta.
Scorzoneræ foliorum, & radicum ſuccus hauſtus.
Porri folia melle ſubacta, & illita.
Sinapis farina ex aceto impoſita.
Caryophillorum ſylueſtriũ radices ex meraco ſumptæ.
Centaurij magni radicis ſuccus vnciæ pondere hauſtus, ac etiam vulneri illitus.
Hyſſopum cum ſale, & cumino tritum & ex melle vulneri illitum.
Mentha græca.
Hieracij ſuccus ex vino potus.
Eiuſdem folia toſta thyrſique triti & ex aceto hauſti.
Pæoniæ radix vel ſemen tam potum quàm admotum.
Biſtortæ, & tormentillæ radices potæ, & exterius illitæ.
Scabioſa

Scabiosa tusa, recénsque illita.
Angelicæ radix cum ruta imposita.
Staphidis agriæ flores, & folia tum pota, tum illita.
Melitea terra ex vino epota.
Antidotum nostrum in præfatione lib. 6. descriptum.
Potio ex antidoto nostro ex aqua vitæ ibidem descripta.
Oleum nostrum de scorpionibus cordi & arteriis illitum.
Allium cum zito tritum ad nauseam vsque potũ, & vomitione reiectum.
Opoponax potum cum vino, & vomitione redditum.
Origanum cum vino haustum.
Centauriũ minus cum myrrha, & opij momento plagæ impositum.
Rumex contrita, & cataplasmatis modo adhibita.
Theriaca tum pota, tum illita.
Quinta essentia nostra in præfatione sexti lib. descripta, & pota.

MATTHIOLI.

Ad dipsadis morsum.

Antidota omnia quæ vipereis morsibus succurrunt.
Oleum potum, ex vomitione redditũ.
Emplastra attractoria plagæ imposita.

DIOSCORIDIS.

Ad hemorrhoi morſum.

Allium bibitum,& illitum.
Merum copioſius hauſtum.
Vitium vini ferarum folia decocta, & ex melle ſubacta, impoſita.

MATTHIOLI.

Allium copioſe deuoratum Vinum dilutum liberalius potum Theriaca ſumpta	antequam cruenta ſit vrina & deinde vomitione reddita.

Piſces copioſi allio,& oleo perfuſi in cibis ſumpti.

DIOSCORIDIS.

Ad ceraſtæ morſum.

Seſamum cum roſaceo inunctum.
Raphani ſemen ex vino bibitum.
Sal cum cedria, aut pice aut melle illitum.

MATTHIOLI.

Antidota omnia, quæ vipereis morſibus conueniunt.

MATTHIOLI.

Ad tarantulæ morſum.

Antidota omnia, quæ phalangiorum ictibus reſiſtunt.

Muſica

Musica instrumenta, & continua tripudia,& saltationes ad lassitudinem vsque.

DIOSCORIDIS.

Ad scolopendræ morsum.

Asphodeli ra dix,& semẽ,ex vino pota.
Sal ex melle,& aceto illitum.
Ruta syluestris admota, quin & ex vino ebibita.
Muria acida fotu adhibita.
Aristolochia ex vino pota.
Serpyllum potui datum ex vino.
Calamintha ex mero hausta.

MATTHIOLI.

Cinis ex aceto subactus,& vulneri impositus.
Scilla imposita.
Pulegium, Ruta, Mentha } ex vino pota.

DIOSCORIDIS.

Ad dryni morsum.

Aristolochia cum vino hausta,
Trifolij bituminosi folia in potu sumpta.
Asphodeli radix potui data.

Glandes quæcunque bibitæ.
Ilicis radices tuſæ, & icto loco illitæ.

MATTHIOLI.

Antidota omnia quæ vipereis morſibus conueniunt.
Quercus foliorum ſuccus potus, aut ſtillatitia eorum aqua.

DIOSCORIDIS.

Ad natricis morſum.

Origanum tritum, & aqua ſubactum ex lixiuio, & oleo inditum.
Ariſtolochiæ cortex minutim contritus cum querna radice, & hordei farina ex melle illitus.
Ariſtolochiæ binæ drachmæ in potione poſcæ p otæ.
Marrubij ſuccus ex vino hauſtus.
Fauus recens ex aceto ſumptus.

MATTHIOLI.

Cupreſſi pilulæ drachmæ pondere, vna cum baccarum myrthi tantundem ex rhodomelle aut vino mulſo potæ.
Calx viua ex oleo illita.
Oleum noſtrum de ſcorpionibus cordi arteriis, & vulneri illitum.

DIOSCORIDIS.

Ad cencri morsum.

Lactucæ ſemen cum lini ſemine illitum.

Satureia cum ſyluestri ruta, & ſerpyllo, & aſphodeli radice ex vino ſumpta.

Gentiana potui data.

Cardamomum deuoratum.

DIOSCORIDIS.

Ad muris aranei morſum.

Mus araneus ipſe diſcerptus, & impoſitus.

Allium cum ficulneis foliis, & cumino appoſitum.

Abſinthium ex vino hauſtum.

Chryſogoni radix conciſa, & ex aceto impoſita.

Galbanum in ſplenio admotum.

Hordeacea farina ex aceto mulſo illita.

Punicæ dulcis acini decocti & adhibiti.

Porrum contritum,& impoſitum.

Abrotoni decoctum ex vino hauſtum.

Serpyllum ex vino potum.

Eruca ex vino ſumpta.

Cupreſſi recentes pilulæ ex aceto potui

tui

tui datæ.
Cyclaminus ex aceto mulſo ſumptus.
Pyrethrum ex vino epotum.
Chamæleonis radix ebibita.

MATTHIOLI.

Erucæ ſemen tritum & impoſitum.
Cuminum cum allio ſimul cum putamine tuſo adhibitum.
Mus ipſe araneus laceratus & impoſitus.
Radix { Gentianæ / Panacis } ex vino pota & illita.
Capparis cortex tam potus quàm illitus.
Verbenacæ rectæ ſuccus potus.
Theriaca deuorata.
Mithridatis antidotum inſumptum.

DIOSCORIDIS.

Ad paſtinacæ, & draconis marini ictum.

Saluiæ decoctum potum.
Simplicia omnia, quæ viperinis morſibus conueniunt.
Abſinthij, aut ſulphuris ex aceto decocti potio.
Animalia ipſa diſſecta ſuo cuique ictui admota.

Mullus piſcis diſſectus, & impoſitus.
Ocimum cum polenta, & aceto impoſitum.
Plumbum confricatum.
Sulphur admotum.

MATTHIOLI.

Furfures aceto incocti, & impoſiti.
Acetum calido fotu adhibitum.
Fermentum acidum ex liquida pice impoſitum.
Lauri foliorum decoctum hauſtum.
Marrubium cum lauri foliis, & chio potum.
Panacis radix cum ſaluia deuorata.
Fici lactis guttæ quinque cum tribus ſerpylli granis epotæ.
Saluiæ decoctum potum pluribus diebus.
Scordium ex ſuo ipſius decocto potum.
Theriaca deuorata.
Mithridatis antidotum inſumptum.
Quinta eſſentia noſtra cũ antidoto noſtro parata.

Anchuſæ folia
Quinquefolium
Rubi flores
Arctium
Oxalis
Lycopſis
Tordilium
Chamæpitys
Fagi cortex
Paſtinacæ agreſtis ſemen
Terebinthi fructus
Phycus marinus
Smyrnium
Eryngium
Libanotis

} plagis illita & intus ſumpta.

DIOSCORIDIS.

Ad muſtelæ morſum.

Eruca comeſta, & deſuper vinum odoriferum hauſtum.

MATTHIOLI.

Vincetoxici radices epotæ.

DIOSCORIDIS.

Ad baſiliſci morſum.

Caſtoreum drachmæ pondere ex vino ebibitum.

Papaueris ſuccus hauſtus.

DIOSCORIDIS.

Ad calcidicæ lacertæ morsum.

Portulaca percocta deuorata,& illita.

MATTHIOLI.

Antidota omnia,quę vipereis morsibus succurrunt.

Portulaca plurima in cibo deuorata.

Vinum myrtite meracius bibitum.

Acetum calidum cum spongia fotum.

MATTHIOLI.

Ad ammoditæ morsum,

Mentha ex aqua mulsa pota.

Cassia odorata } ex frigida pota.
Castoreum }

Artemisiæ succus cum aqua epotus.

Theriaca andromachi tum deuorata, tum illita.

Medicamenta quæ trahendi vim possident imposita.

DIOSCORIDIS.

Ad canis rabidi morsum.

Lycium in catapotio datum aut ex aqua bibitum.

Cancrorum fluuiatilium cinis cochlearium duorum pondere ex gentianæ radicis momento per triduum cum vino potus.

Smaridis piſcis ſalſa caro.
Omotarichi piſcis ſalitæ carnes illitæ.
Garum omnium piſcium fomento adhibitum.
Canis rabidi epar toſtum, & in cibo ſumptum à metu aquæ præſeruat.
Caninus ſanguis ebibitus.
Canina vrina bibita.
Mel bibitum cum roſaceo calidum.
Triticum commanducatum & appoſitum.
Cæpa cum ruta, ſale, & melle mixta admota.
Allium cum vino potum, & cataplaſmatis inditum.
Panaces Herculeum pici miſtum, & cataplaſmatis additum.
Fœniculi radices conciſæ, & ex melle impoſitæ.
Laſer impoſitum.
Ballote cataplaſmatis modo cum ſale illita.
Melyſſophyllum cum vino bibitum, & cataplaſmatis inditum.
Alyſſum in edulio contuſum.
Allium ſylueſtre in cibo ſumptum, & illitum.
Salſamentum inditum.
Succus cyrenaicus.

MATTHIOLI.

Cancrorum fluuiatilium cinis quadraginta diebus cum gentiana & thure potus.

Pix brutia cum opopanace,& aceto imposita.

Humani ſtercoris ſtillatitia aqua pota.

Oxylapathi decoctum fotu adhibitum, herbáque ipſa illita, atque vnà cum radicibus hauſta.

Scorzoneræ radix deuorata, aut eius ſuccus hauſtus.

Hypolapathi radix quadraginta diebus puta,atque etiam illita.

Vincetoxici radices quotidie ſeſquidrachmæ pondere potæ ex cardui benedicti decocto cõtinuis quadraginta diebus.

Angelicæ radix exterius cum ruta impoſita,& intro in corpus ſumpta.

Bitumen aſphaltite drachmæ pondere diebus pluribus continuis ex aqua epotum.

Hippocampus marinus ex aceto nigro & melle ſubactus tã potus q̃ illitus.

Rumex fotu adhibita.

Theriaca Andromachi deuorata,& vulneri illita.

Potamogetum cum ſale exterius illitũ.

Artemiſia
Abſinthium
Allium
Cẽtaurium minus
Ariſtolochia
Scordium
Chamædrys
Bryonia
Pulegium

} tam intus ſumpta, quàm exterius illita.

Caprifici cortex contuſus, & ex aqua potus.

Cauterium actuale inuſtum.

Mercurius præcipitatus vulneri inſperſus.

MATTHIOLI.

Ad hydrophobiam, id eſt aquæ timorem.

Veratri albi, aut nigri potiones.

Epithimum
Fumaria
Sena
Myrobalana
Elaterium
Agaricum
Rhabarbarum
Centauriũ minus
Geniſtæ ſemen
Thapſia
Armenius lapis

} in potionibus purgantibus propinata.

Bitumen iudaicum frequenter ex aqua ſump

ſumptum.

Coagulum { Leporis / Vulpis / Capreoli } hauſtum.

Catuli coagulum ſemel epotum.
Ciceris nigri decoctũ copioſe hauſtũ.
Mithridatis antidotum.
Theriaca andromachi.

DIOSCORIDIS.

Ad canis non rabidi morſum.

Amygdalę amarę ex melle exceptæ.
Mitulorum caro impoſita.
Gobius piſcis impoſitus.
Orobi farina vino macerata indita.
Plãtago cataplaſmatis modo adhibita.
Cucumeris folia impoſita.
Bulbi cum melle, & trito pipere cataplaſmatis more appoſiti.
Mentha applicata.
Vrtica vtraque cum ſale adhibita.
Cynogloſſi radix, & folia cum ſuillo adipe veteri impoſita.
Sambuci & ebuli folia illita
Sarmentitius cinis ex aceto illitus.

MATTHIOLI.

Hypolapathi radix trita, & ex meraco vulneri illita.
Marrubij folia cum veteri axungia trita & applicata.

Canis qui non momorderit pili excisi & vulneri adalligati.

DIOSCORIDIS.

Ad phalangiorum morsum.

Myricæ fructus poti.
Myrtus ex mero hausta.
Mori foliorum succus cyathi mensura epotus.
Lixiuium ficulnei cineris potum adiecto sale trito,& vino.
Cancri fluuiatiles crudi; tritíque cum asinino lacte epoti.
Mullus piscis dissectus,& impositus.
Maluæ decoctum illitum.
Myrrhis ex vino hausta.
Asparagi radicum decoctum ex vino haustum.
Lactuca sylueſtris bibita.
Coris semen in vino potum.
Hederæ succus cum aceto ebibitus.
Abrotonum cum vino haustum.
Dauci semen ex vino sumptum.
Nigella drachmæ pondere cum aqua pota.
Aparinæ ex vino insumpta.
Melissophyllum cum vino bibitum & cataplasmatis modo adhibitum.
Phalangij folia , flores , seménque

pot

potum.
Iunci marini tenella folia prope radicem erumpentia impoſita.
Hyacinthi radix potui data.
Semperuiuum maius ebibitum.
Aqua maris fotu adhibita.
Punicæ ſylueſtris radix quàm tenuiſſimè trita, aut ariſtolochia cum hordei farina,& aceto ſubacta.
Apiaſtri decoctum fotu admotum aut eius folia.

Abrotoni Aniſi Cumini æthiopici	ſemen propinatum binarum drachmarum pondere cum hemina vini.

Cedrides tritæ admotæ vel bibitæ.
Platani cortex potus.
Cupreſſi viridium pilularum ex vino decoctum.
Chamæpityos decoctum epotum.
Trifolij ſemen propinatum.

MATTHIOLI.

Atriplicis ſuccus potus.
Cyani vtriuſq; folia, ſiue ſemen ex vino hauſta.
Porri folia melle ſubacta,& illita.
Hieracium ex commixto vino, & aceto potum.

Trifolij bituminosi decoctum fotum.
Acetum calidum cum spongiis vulneri admotum.
Sanguinaria trita & illita.
Porrum cum furfuribus ex aceto incoctum & illitum.
Hordeacea farina ex vino, & melle cocta, & imposita.
Lauri folia cum ruta adhibita.
Caprillum stercus cum vino impositū.
Amaracus cum syluestri ruta, & cypero ex aceto.
Theriaca Andromachi.
Mithridatis antidotum.

MATTHIOLI.

Ad acontiæ morsum.

Antidota omnia, quæ vipereis morsibus resistunt.
Oleum nostrū de scorpionibus plagæ, cordi, & arteriis illitum.
Potio ex aqua vitæ, & antidoto nostro parata. lege lib.6.præfationem.

DIOSCORIDIS.

Ad stellionis morsum.

Sesamum cum rosaceo.

MATTHIOLI.

Mithridatis antidotum.

Scorpiones contriti,& illiti.
Oleum noſtrum de ſcorpionibus inunctum.

DIOSCORIDIS.

Ad crocodillorum morſum.

Sal impoſitum.

MATTHIOLI.

Chrocodilli corij cinis ex aceto illitus.
Haſtulæ regiæ radices elixæ , & illitæ.
Hypericum recens tritum , & morſui adalligatum.

DIOSCORIDIS.

Ad quadrupedum morſum.

Aprinum epar tum recens tum ſiccum ebibitum.

MATTHIOLI.

Faſeoli commanducati & vulneri adalligati
Fabarum , & erui farina melle ſubacta & illita.
Abiegna reſina calens cum roſaceo adhibita.

DIOSCORIDIS.

Ad ſcorpionis ictus.

Cyperus impoſitus.

Cardamomum ex vino potum.
Amomum ex ocimo illitum.
Lauri baccæ ex vino hauſtæ.
Myrti ſuccus ex mero epotus.
Ficus ſatiuæ lacteus ſuccus plagæ inſtillatus.
Cancri fluuiatiles crudi, tritíque cum aſinino lacte & epoti.
Scorpius ipſe tritus, & impoſitus, vel toſtus deuoratus.
Delphinium appoſitum.
Mullus piſcis diſſectus, & impoſitus.
Smaridis piſcis ſalita caro adhibita.
Lacerta diſſecta, & appoſita dolorem ſedat.
Mures domeſtici diſſecti, & admoti.
Fimus { Aſini / Equi } herbas paſcentis vino dilutus hauſtus.
Vrina humana epota.
Farina triticea ex aceto, & vino impoſita.
Lychnidis ſemen cum vino bibitum.
Oxylapathi, & oxalidis ſemẽ vino, aut aqua potum.
Sonchi ſuccus comeſtus, & cataplaſmatis more impoſitus.
Intybus cataplaſmatis modo adhibit⁹.
Phalangium herba ſumpta.
Lactuca ſylueſtris bibita.

Ocimum

Ocimum cum polenta impoſitum.
Aſphodeli ſemen & flores in vino poti.
Abrotonum potui datum.
Sampſuchuw ex aceto, & ſale applicitum.
Hieraciũ maius, & minus cataplaſmatis more impoſitum.
Laſer oleo dilutum inunctum.
Colus ruſtica cũ vino piperéq; bibita, & manibus geſtata dolorem puncturæ omnino fugat.
Meliſſophylli folia adhibita.
Polemonij radix adalligata.
Rubi flos,& mora.
Verbaſci aureum florem ferentis folia impoſita.
Chamæſyces ſuccus illitus.
Scorpioides illita.
Heliotropium potũ cum vino,& illitũ.
Aqua maris fotu adhibita.
Sulphur ignem non expertum cum reſina terebinthina exceptum admotum.
Calamintha trita illita, vel cum poſca fota.
Galbanum ſplenij more ductum impoſitum.
Hordei farina cum vino parata.
Rutæ decoctum fotu adhibitum.

Trifolium tritum iniectum.
Cupressus cum vino,& ruta.
Peucedani succus haustus.
Pulegij } decoctum potum.
Gentianæ
Aristolochiæ præsertim cortex drachmarum duarum pondere haustus.
Sal cum lini semine.
Sapphirus lapis illitus.

MATTHIOLI.

Mumia ex mero hausta, quin & illita cum recenti butyro.
Citrij semen potum,& appositum.
Ponticæ nuces in cibis sumptæ, tum quoque in cingulo gestatæ.
Pastinacæ semen potum.
Oleum nostrum de scorpionibus vulneri,cordi,& arteriis illitum.
Serpyllum
Althææ radix } pota.
Elaphoboscum
Blitum ex vino sumptum.
Atriplicis succus potus, & ipsa herba adhibita.
Cyani vtriusq; folia, siue semen ex vino decocta,& epota.
Porri folia melle subacta & illita.
Asphodeli radix decocta, & plagæ admota.

Gentiana hausta.
Achates lapis gestatus, vt carnē tāgat.
Cochlea hortulana contusa,& illita.
Terreni vermes triti,& impositi.
Cancer fluuiatilis tritus & ex vino potus.
Verbenaca recta tum pota,tum illita.
Cuminum cum melanthij,& viticis semine drachmæ pondere ex vino bibitum.

DIOSCORIDIS.

Ad vesparum & apium ictus.

Lauri folia trita,& illita.
Malua concisa ex oleo imposita.
Sysimbrij folia admota.
Althææ decoctum ex posca bibitum.
Sal cum sepo vitulino adhibitum.

MATTHIOLI.

Asparagus tritus,& cum melle illitus.
Bubulum stercus cum posca illitum.
Sesamum cum posca.
Muscæ contritæ,& illitæ.
Thymbra / Melissophyllū / Sisymbrium } illita.
Momordicæ oleum inunctum.
Ferrū in quo strombi cōchylij imago exculpta fuerit icto loco superposita.

DIOSCORIDIS.

Ad fuganda animalia venenosa.

Iuniperi accensæ fumus.

Cedrides peruncto corpore adipe vel medulla ceruina exceptæ.

Viticis folia suffita, vel substrata.

Cancri fluuiatiles crudi cum ocimo triti scorpionibus admoti.

Ceruinum cornu crudum incẽsum suffitúmque.

Cerui & Elephantis adeps inunctus.

Ceruina medulla.

Nasturtium suffumigatum.

Abrotonum stratũ suffitúque incẽsum.

Origani folia stratis subacta.

Dictamnum olfactum omnia quæ ictu aut morsu venenum relinquũt enecat.

Calaminthæ suffitus.

Peucedani suffitus.

Lysimachia incensa fugat serpentes, & muscas.

Nigellæ suffitus.

Polium vtrunque incensum stratúmq;

Conyzæ } suffitus.
Gagates lapis }

MATTHIOLI.

Veteramentorum suffitus.

Scordium ſubſtratum, & ſuffitum.
Bitumen ſuffitum.
Succinum
Caſtoreum
Aſſa fætida
Ceruina vngula } ſuffita
Cerui corium in terra ſtratum.

DIOSCORIDIS.

Ad venena omnia.

Phu antidotis inſertum.
Cinnamomum potum.
Pix liquida cyathi mẽſura in eclegmate cum melle data.
Cedrides antidotis impoſitæ.
Nuces iuglandes cum ruta, & ficis præſumptæ.
Quinquefolij radicis ſuccus bibitus.
Coagulum leporinum hauſtum.
Epipactis pota.
Caſtoreum ſumptum.
Calamintha præpota.
Muſtelæ ſalitæ, & in vmbra exiccatæ puluis cum vino epotus.
Muſtelæ ventriculus coriandro farctus & muctoratus.
Caniculæ lac primi partus epotum.
Eryngium cum vino potum.
Butyrum deficiente oleo hauſtum.

Sanguis { Anseris, Anatis, Hœdi } antidotis cõmist⁹.
Vrina ipsiusmet infirmi pota.
Semen raparum haustum.
Rutæ semen acetabuli pondere cum vi-
no potum.
Napi semen bibitum.
Maluæ decoctum cum suis radicibus
frequenter epotum crebróq; reiectũ.
Brassicæ semen antidotis impositum.
Irionis semen haustum.
Laserpitium potum.
Agaricum drachmæ pondere cum dilu-
to vino sumptum.
Chamæleonis albæ radix cũ vino pota.
Spina alba in amuletum congesta, col-
lóque suspensa.
Abrotoni semen cum vino haustum.
Ruta cum iuglandibus nucibus, & ca-
ricis sumpta.
Apij decoctum epotum.
Marrubij folia ebibita.
Betonicæ folia drachmæ pondere in vi-
no sumpta.
Tribuli terrestris succus cũ vino epot-
Polemoniæ radix potui data.
Smilacis asperæ acini prius póst v-
sumpti.

Acc-

Acetum tepidum hauſtum.

Terra { Lemnia / Samia } ex aqua epota.

MATTHIOLI.

Iridis radix pota.
Imperatoriæ herbæ radix bibita.
Phu radix hauſta.
Cinnamomi ſtillatitia aqua epota.
Balſami factitij liquores.
Myrrha / Caphura } pota.
Mumia cum tribulo marino, & aſſa fætida ſumpta.
Dictamni albi radices quoquo modo ſumptæ.
Quernarum glandium decoctum in potu ſumptum.
Citriorum malorum ſemen hauſtum.
Oleum noſtrum de ſcorpionibus cordi & arteriis illitum.
Caſtoris vrina.
Ceruini cordis os.
Napi ſemen hauſtum.
Cyani vtriuſque folia, ſiue ſemen ex vino epota.
Scorzoneræ radix aut ius & foliorum ſuccus hauſtus.
Caryophyllorum flores ſaccharo aſſer

uati, intus ſumpti.
Zedoaria deuorata, vel potu ſumpta.
Imperatoria
Vincetoxicum
Scordium } quouis modo inſumpta.
Carduus benedict⁹
Hypericum
Biſtortæ, & tormentillæ decoctum epotum.
Conſolidæ regalis flores.
Angelica.
Quinta eſſentia noſtra hauſta.
Lapis bezahar octo granorum pōdere ſumptus.
Melitea terra pota.
Antidotum noſtrum magnum in præfatione lib. 6. deſcriptam.
Potio ex antidoto noſtro, & aqua vitæ eodem in loco deſcripta.

MATTHIOLI.

Ad veneficia.

Herbæ paridis ſemen drachmę pondere quotidie potum ad vigeſimum diem vſque.
Argentum viuum pro amuleto ſuſpenſum.
Lapis ætites geſtatus.
Vpupæ auis cor ſuſpenſus.

Leporis cor in aluta geſtatus.
Lupinus oculus dexter geſtatus.
Scilla ſuper limine ianuæ ſuſpenſa.

DIOSCORIDIS.

Ad leporem marinum.

Cedria contrita cum vino hauſta.
Cãcri fluuiatiles elixi cum ſuo iure deuorati.
Lac aſininum, Paſſum } continuè datum.
Maluæ radicum decoctum epotum.
Cyclamini radix cum vino bibita.
Veratrũ nigrum, ſcamonij ſuccus. } drachmæ pondere data cum mulſa & mali punici acinis.
Anſerinus ſanguis tepidus hauſtus.
Aliſmatis drachma vna vel altera adhibita.

MATTHIOLI.

Humanus ſanguis calens potus.
Humanum lac ab ipſis mammis exuctum.
Vulpis caro inaſſata, & deuorata.
Theriaca diateſſeron tribus diebus epota.

DIOSCORIDIS.

Ad rubetam ranam.

Teſtudinis marinæ ſanguis cum lepo-

ris coagulo, & cymino potus.

Aliſmatis radix vnius, vel duarũ drachmarum pondere in vino pota.

Merum largius ebibitum, & vomitu redditum.

Arundinis } radicis binæ drachmæ
Cyperi } epotæ.

MATTHIOLI.

Eringij radix ex ranarum comeſtibilium iure pota.

Antidotum noſtrum magnum in præfatione lib. 6. deſcriptum.

Oleum noſtrum de ſcorpionibus cordi, & arteriis inunctum.

Theriaca Andromachi.

Mithridatis antidotum.

Teſtudinis marinæ ſanguis additis cumino, leporis coagulo, & vino.

Potio ex antidoto noſtro, & aqua vitę in lib. 6. præfatione deſcripta.

Smaragdi puluis ſcrupuli pondere ex vino potus, & ſubinde intret æger nudus in mulum, aut equum recenter exenteratum, ibíque concluſus moretur donec deferueſcat cadauer.

Rhabarbarum }
Diacurcuma } pota.
Dialacca }

Lapis

Lapis in rubetæ ipſius capite inuentus epotus.

DIOSCORIDIS.

Ad bupreſtes, & pinorum erucas.

Oleum { Irinum, Melinum } potum.

Caricæ comeſtæ, & earum decoctum ex vino hauſtum.

Palmulæ deuoratæ, vel tritæ ex mulſo aut lacte, & ebibitæ.

Pyra omne genus in cibum ſumpta.

Humanum lac copioſe ſumptum.

MATTHIOLI.

Antidota omnia, quæ cantharidarum noxæ ſubueniunt.

DIOSCORIDIS.

Ad epotas hirudines.

Muria in ſorbitionibus data.

Cyrenaicus ſuccus epotus.

Laſerpitij folia ex aceto hauſta, quinetiam & ſuccus ex aceto gargarizatus.

Betæ folia cum aceto bibita.

Niuis glebula cum poſca ſumpta.

Cimices vino, acetóve poti.

Acetum cum ſale potum.

Nitrum ex aqua gargarizatum.

Atramentum ſutorium aceto dilutum & gargarizatum.

MATTHIOLI.

Salicis decoctũ, aut lixiuium ex ipſius cinere paratum epotum.

Alumen in lixiuio diſſolutum, gargarizatum.

Sal ammoniacum aqua dilutum, & gargarizatum.

Quinta eſſentia noſtra hauſta.

Oleum è chalcantho ſemiſcrupuli pondere hauſtum.

DIOSCORIDIS.

Ad epotas cantharidas.

Halicæ
Orizæ
Tragij
Maluæ
Sem. { Lini, Fœni græci, Althææ }
} decoctum clyſmate infuſum.

Nitrum ex hydromelite potum.

Nuclei pinei ex vino ſumpti.

Cucumeris ſemen contritum ex mulſo aut lacte hauſtum.

Anſerinus adeps ex paſſo epotus.

Samia terra, quæ aſter appellatur, ex defruto hauſta.

Pulegiũ tritum ex aqua potui datum.

Lac epotum.

Vinum dulce liberalius hauſtum.

Thuris cortex ex paſſo inſumptus.

Roſaceum cum irino ex rutæ decocto ſumptum.

Vitis recentis ramuli detriti, ex paſſo hauſti.

Ius eſculentum omnium adipum.

MATTHIOLI.

Lac humanum ex vberibus ipſis exuctum.

Butyrum crudum recens eclegmatis modo delinctum.

Pſyllij, cydoniorum malorum maluæque ſeminis ſpiſſamentum.

Lactucæ Portulacæ Cucumeris Cucurbitæ Papaueris	ſuccus potus.

Lactucæ Poponum Cucumeris Cucurbitæ Anguriæ	ſeminum cremor lacteus ex halicacabi ſolani aqua paratus, & epotus.

Halicacabi baccæ decem aut duodecim confractæ, & ex aqua portulacę aut hordeacea ptiſſana potæ.

Amygdalinum dulce ſelibre pondere epotum.

Oleum è { pineis nucleis / papaueris ſemine. } copioſe hauſtum.

Maluæ / Althææ / Cucurbitæ } ſtillatitia aqua largius ebibita.

Theriaca deuorata.

Mithridatis antidotum.

Antidotum è pineis nucleis, commento de cantharidibus deſcriptum.

Antidotum è lemnia terra.

Oleum è momordica ſyphone in penis meatum infuſum.

Balneum ex ibiſci, maluæ, violarum, pſyllij, fœnogręci, hordei, & hyoſciami foliis, & ſeminibus paratum.

Oui album cum ſuccis frigidis iniectum.

DIOSCORIDIS.

Ad ſanguinem, & lac in ventriculo concretum.

Coagulum leporinum epotum.

Acetum tepidum potũ, & vomitu redditum.

Groſſi lacteo ſucco turgentes ex poſca ſumpti.

Nitrum per ſeſe potum.

Coagulum omne ex aceto,& laſerpitij radice,aut laſere hauſtum.
Braſſicæ ſemen ex lixiuio ficulnei cineris epotum.
Conyzæ ſemen cum pipere ex aceto hauſtum.
Rubi ſuccus ex aceto potui datus.
Hordeacea farina ventriculo, & aluo ex aqua mulſa inuncta.
Thymum ex vino hauſtum.
Calaminthæ folia arida epota.

MATTHIOLI.

Caprifici lac potum.
Chelidonij maioris ſuccus hauſtus.
Napi ſemen ex aceto hauſtum.

DIOSCORIDIS.

Ad ſalamandram.

Reſina pinea in delinctu.
Galbanum ex melle deglutitum.
Nuclei pinei contriti ex aiugę decocto poti.
Vrtica cum liliis ex oleo decocta, & pota.
Teſtitudinis marinæ, & terreſtris oua cocta,& deuorata.
Ranarum ius in quo eryngij radix fuerit cocta,epotum.

MATTHIOLI.

Theriaca
Mithridatis antidotum
Terebinthina resina } epota.
Vrticæ semen
Cupressi folia.

DIOSCORIDIS.

Ad colchicum ephemerum.

Origanum cum passo aut oxymelite potum.

Bubulum lac haustum, quin & asininũ largius sumptum.

Quercus foliorum, aut glandium decoctum epotum.

Malicorium haustum.

Serpyllũ ex lacte decoctum bibitum.

Sanguinalis herbę succus potui datus.

Vitis recentium viticularum succus epotus.

Rubi succus haustus.

Ferulę recẽtis medulla ex vino sumpta.

Myrthi baccę tusę, & aqua maceratæ, & in liquorem solutæ potæ.

Castanearũ media tunica trita, & cum sanguinariæ succo epota.

Origanum cum lixiuio bibitum.

Simplicia omnia quæ fungis aduersantur.

MATTHIOLI.

Lac { Humanum / Bubulum / Asininum } potum.

Dictamnum duarũ drachmarum pondere haustum.

DIOSCORIDIS.

Ad solanum somnificum, & manicum, & dorichnium.

Aqua mulsa copiose sumpta.

Lac { caprillum / Asininum } potum.

Amygdalæ amaræ deuoratæ.

Conchilia omnia tam cruda quàm cocta deuorata.

Locustæ marinæ, quin & gammari in cibum sumpti, & eorum iuscula hausta.

MATTHIOLI.

Antidota omnia quę opio aduersantur.

Quinta essentia nostra commento de vino descripta.

Potio ex antidoto nostro, & aqua vitæ in præfatione libri sexti descripta.

DIOSCORIDIS.

Ad hyoscyamum.

Mori cortex potus.

Aquá mulſa largius ebibita.
Lac omne præſertim aſininum potum.
Ficuum aridarum decoctum epotum.
Nuclei pinei deuorati.
Cucumeris ſemen ex paſſo potui datũ.
Vinum ſalſum cum ſuillo recenti adipe, & paſſo potum.
Vrticæ ſemen ex aqua ebibitum.
Nitrum ex aqua hauſtum.
Cichorium deuoratum.
Sinapis quoquo modo ſumpta.

Naſturtium Raphanus Cæpa Allium	cum vino ſumpta.

MATTHIOLI.

Theriaca.
Mithridatis antidotum.
Antidotum noſtrum magnum.
Piper longum inſumptum.
Piſtacia largius deuorata.
Meracum à vomitu potum.

Abſinthium Caſtoreum Ruta Lauri baccæ & folia Defrutum Vrticæ ſemen Cardamomum	ex meraceo hauſta.

DIOSCORIDIS.

Ad aconitum.

Leporinum, Hœdinum, Vitulinum } coagulum ex vino potum.

Chamæpityos decoctum haustum.

Scoria ferri ex aceto mulſo ſumpta.

Origani, Rutæ, Marrubij, Abſinthij } decoctum cum vino abſinthite potum.

Sedum maius, Abrotonum, Chamælea, Aiuga } ex vino abſinthite pota.

Opobalſamum drachmæ pondere ex melle, vel lacte cum caſtoreo pipere, & ruta equis ponderibus ex vino potum.

Vinum in quo aurum, argentum, ferrúmve candens reſtinctum fuerit potum.

Gallinæ ius ex lixiuio, & vino paratum epotum.

Bubularum carnium præpinguia iura cum vino ſumpta.

MATTHIOLI.

Eryngij radix ex ranarum comeſtibilium vel anſerino iure pota.

Lemnia

Lemnia ſphragis duarum drachmarum pondere ex calida aqua pota, & vomitione reddita.
Theriaca andromachi à vomitu hauſta ex vino in quo gentiana incocta fuerit.
Antidotum noſtrum magnum in præfatione ſexti libri deſcriptum, deuoratum, aut ex vino hauſtum.

MATTHIOLI.

Ad napellum.

Lapidis Bezabardici ſeptem grana ex albo meraco.
Napi, aut rapi ſemen potum.
Butyrum bubulum coctum, & ſæpe, ac largè cum vino ſumptum.
Glandium putaminum decoctum ex vino, epotum.
Cianabari
Cinnabari } puluis inſumptus.
Moſchus
Ambarum } per ſeſe, & cum lemnia terra ex vino hauſta.
Capparis radices contritæ & epotæ.
Mus qui in napelli ipſius radices depaſcitur ſiccatus, & in puluerem ebibitus.
Antidotum è muſcis napelli flores depaſcentibus, vide libri ſexti Napelli com

commentarium.
Smaragdus in puluerem tritus duarum drachmarum pondere hauſtus.
Oleum noſtrum de ſcorpionibus cordi arteriis, atque naribus replicatis ſæpe vicibus inunctum.
Puluis Sereniſ. Principis Ferdinandi Archiducis Auſtrię, quo nonnullos, qui napellum ſumpſerunt ſanatos vidimus.

DIOSCORIDIS.
Ad taxum.

Acetum calidum potum.
Simplicia omnia quæ cicutæ reſiſtunt.

MATTHIOLI.

Medicamenta omnia ad cicuta facientia.
Theriaca andromachi.
Antidotum noſtrum magnum in præfatione libri ſexti deſcriptum,

DIOSCORIDIS.
Ad toxicum.

Sanguis { Hircinus / Caprillus / Leporinus / Ceruinus / Caninus } frixus, & in cibis ſumptus.

Galbanum cum myrrha ex vino potũ.

Quin

Quinquefolij radix hauſta.
Roboris } cortex tritus ex lacte hauſtus.
Fagi
Ilicis
Cotonea mala deuorata aut cum pulegio,& aqua bibita.
Amomum. } ex vino epotum.
Carpobalſamum

MATTHIOLI.

Lapis Bezahar octo granorum pondere ex vino hauſtus.
Napi,aut rapi ſemen potum.
Tormentillæ radix ſumpta.
Glandium omphacides ſiue putamina ex lacte hauſta.
Malorum cydoniorum vinum potum.
Cubebæ deuoratæ.

DIOSCORIDIS.

Ad opium & corniculatum papauer.

Mel ex roſaceo calido bibito.
Origanum cum paſſo aut oxymelite hauſtum.
Aliſmatis radix duarum drachmarum pondere ex vino pota.
Acetum bibitum,& vomitu redditum.
Sal cum oxymelite ſumptum.
Meracum vinum cum abſinthio,& cinnamomum hauſtum.

Nitr

Nitrum ex aqua potui datum.
Origanum cum lixiuio aut paſſo potum.
Rutæ ſylueſtris ſemen cum pipere, & panace, ex vino ſumptum.
Piper cum caſtoreo ex aceto mulſo vel cum ſatureiæ, aut origani decocto ex vino bibitum.
Pinguia iura in potu ſumpta cũ vino, aut paſſo.
Oſſium medulla ex oleo epota.

MATTHIOLI.

Artemiſia recens deuorata, aut foliorũ ſuccus hauſtus.
Quinta eſſentia noſtra cap. de vino deſcripta.
Laſerpitij lachryma epota.
Caſtoreum ebibitum.
Theriaca ſagzanea deuorata.
Mithridatis antidotum ex vino potũ.
Moſchum } olfactum.
Ambarum }
Ellebori albi puluis naribus inditus.
Sulphuris ſuffitus.

DIOSCORIDIS.

Ad cicutam.

Abſynthium ex vino bibitum.
Origanum cum paſſo aut oxymelite potum.

Acetum

Acetum epotum, & vomitu reiectum.

Meracum vinum largius epotũ, & per interualla repetitum.

Lac tum bubulum, tum aſininum epotum.

Caſtoreum cum ruta, & mentha ex vino ſumptum.

Amomi
Cardamomi } vncia pota.
Styracis

Piper cũ vrticę ſemine ex vino hauſtũ.

Lauri folia potui data.

Laſer ex oleo, vel paſſo potum.

Paſſum per ſe largius epotum.

MATTHIOLI.

Apij ſemen ex vino potum.

Iridis radix potui data.

Seſeli Maſsilienſe ebibitum.

Nitrum ex copioſiore aqua epotum.

DIOSCORIDIS.

Ad ixiam.

Abſinthium ex vino bibitum.

Origanum ex vino potum.

Acetum potum, vomitúque reiectum.

Rutæ ſylueſtris ſemen epotum.

Tragorigani decoctum hauſtum.

Reſina terebinthina deuorata.

Nardus Indica potui data.

Caſtor

Caſtoreum } oboli pondere ſumptũ.
Laſerpitium

Nuces iuglandes cum reſina, caſtoreo & ruta, tritæ, ita vt ſingula drachmæ pondus æquent ex vino hauſtæ.

Chamæleæ } ſuccus ſicilini põdere ex aqua mulſa hauſtus.
Thapſiæ
Abſinthij

MATTHIOLI.

Theriaca Andromachi. } ex abſinthij pontici decocto pota.
Mithridatis antidotum.

Saccharum è floribus borraginis, bugloſsíve paratum, additis corallio, margaritis, moſcho, ambaro, & precioſorum lapidum fragmentis.

Roſaceum cum aceto ſincipiti illitum.

Thlaſpi ſemen potum.

Betæ ſuccus ebibitus.

Triticeæ ptiſanæ cremor ex paſſo potus.

Abſinthij dilutum potum.

Nitrum ex mulſo hauſtum.

Lac recenter mulſum à vomitu copioſo epotum.

DIOSCORIDIS.

Ad coriandrum.

Merum per ſeſe vel ex abſinthio potũ.

Oleum epotum.
Oua in oleo exinanita, & ex muria liquefacta deuorata.
Muria epota.
Passum ex lixiuio assumptum.
Gallinarum, & anserum ius copiose salsum, haustum.

MATTHIOLI.

Theriaca ex mero pota.
Vincetoxici radices potui datæ.
Diamoschum } in potionibus.
Diambarum

DIOSCORIDIS.

Ad psyllium.

Simplicia omnia quæ coriandro aduersantur.

MATTHIOLI.

Theriaca hausta.
Vincetoxicum ebibitum.

DIOSCORIDIS.

Ad herbam sardoniam.

Aqua mulsa liberalius pota.
Lac affatim ebibitum.
Aqua calida fotu adhibita, quinetiam, & oleum.

MATTHIOLI.

Vinum dulce potũ ad ebrietatẽ vsque
vt inde

vt inde dormiant affecti.

Caſtorium è dulci vino potum.

Meliſſophylli ſuccus ex aceto ſumptus

Oleum de	Lilio Caſtoreo Vermibus Coſto Hyperico	Occipitio, ceruici, & ſpinali medullæ illitū.
Vnguentū	Vulpinum Aragon Agripæ	eodē modo vſurpatum.

DIOSCORIDIS.

Ad mandragoram.

Aqua mulſa copiosè pota, & vomitu reiecta.

Nitrum cum abſinthio ex dulci vino aut paſſo ſumptum.

Roſaceum cum aceto capiti perfuſum.

Eupatorium Piper Sinapi Caſtorium Ruta	ex aceto trita, & ad olfaciendum data.

Lucernarum extinctarum fumus olfactus.

MATTHIOLI.

Coriandri ſemen Pulegium	ex aqua calida potum,

Origanum ex frigida ebibitum.
Veratri albi puluis naribus inditus.
Cantharides ex ferměto occipitio adalligatæ.

DIOSCORIDIS.

Ad fungos malos.

Fimus gallinæ cum aceto bibitus.
Mel ex roſaceo calido potum.
Raphanus deuoratus, vel potui datus.
Abſinthium cum aceto ebibitum.
Meliſſophylli folia cum nitro epota.
Lixiuium ſarmenticij cineris ex acida muria potum.
Satureia feruefacta, hauſtáque.
Origani iuſculum potui datum.
Acetum calidum potum, & vomitu reiectum.
Atramentum ſutorium ex aqua potũ.
Sal cum oxymelite bibitum.
Pyraſtri folia pota, deuoratáque.
Oua gallinacea cum ariſtolochiæ drachma ex poſca deuorata.
Panacis radix, & ſemen ex vino pota.
Fæx vini cremata ex aqua bibita.
Sinapis hauſta.
Naſturtium comeſtum.

MATTHIOLI.

Myrti frondes cum baccarum ſemine

trit

tritæ & inſumptæ.

Braſſicæ ſuccus potus.

Porrum ſub cineribus coctum hauſtũ vel comeſtum.

Pyri ſylueſtris cinis potus, quin & ligni ramenta.

Pyra ſylueſtria deuorata aut cum ipſis fungis elixa.

Quinta eſſentia noſtra pota.

Raphani domeſtici ſuccus epotus.

Rutæ folia deuorata.

Origani puluis ſumptus.

Mel deglutitum.

Theriaca ex acerrimo aceto pota.

Vinum generoſum in quo piper conferbuerit hauſtum.

Allium crudum deuoratum.

Murium ſtercus ex vino potum.

Oleum cum anatis adipe clyſtere infuſum.

Ricininum oleum ventri illitum.

Scammonium vltimo loco potum.

Diapipereos, aut diacyminum, aut diagalanga, aut diamoſchum inſumpta.

DIOSCORIDIS.

Ad gypſum.

Origanum cum paſſo, aut oxymelite potum.

Maluæ decoctum potum, quin & toto corpori inspersum.
Oleum bibitum.
Aqua mulsa epota.
Caricarum decoctum haustum.
Lixiuium è ficulneo, aut sarmentitio cinere paratum cum vino copiosio re haustum.
Origanum cum lixiuio, aut aceto au passo sumptum, quinetiam & thymum.
Simplicia omnia quæ fungis resistunt.

MATTHIOLI.

Antidota omnia quæ cerussæ, & fungorum noxæ opitulantur.
Maluæ, althææ, fœnogræci, & lini seminis decoctum potum.
Aqua egelida cum butyro pota, & vomitione reiecta.
Mithridatis antidotũ ex meraco duarum drachmarum pondere à vomitu sumptum.

DIOSCORIDIS.

Ad cerussam.

Amaracinum } oleum potum.
Irinum
Vlmi liquor epotus

Persic

Perſicorum nuclei ex ptiſana poti.
Caricarum } decoctum hauſtum.
Maluarum
Lac calidum bibitum.
Seſamum tritum ex vino ſumptum.
Lixiuium ex ſarmentitio cinere potum.
Columbina oua cum thure hauſta.

MATTHIOLI.

Scammonium ex mulſa aqua potum.
Medicamenta quæ ſuapte natura vrinam pellunt.
Oleum lilinum ex hydromelite potũ & vomitione redditum.
Atriplicis, rapique ſemen ex mulſo potum & vomitu reiectum.
Braſsicę decoctum abſque ſale cũ oleo infuſum.
Theriaca.
Mithridatis antidotum.
Vinum album meracum liberalius hauſtum.

MATTHIOLI.

Ad arſenicum ſublimatum.

Butyrum frequenter ſumptũ, frequenterque reiectum.
Aſininum lac potum.
Rapi ſemen ebibitum.

Mucago ex psyllij, maluæ, & cydoniorum semine parata, & pota.
Amygdalinum oleum potum.
Pinguium gallinarum ius copiosè haustum.
Crystallum in tenuissimum puluerem tritum drachmæ pődere dulci amygdalino oleo epotum.

DIOSCORIDIS.

Ad argenti spumam.

Hormini syluestris semen potum.

Myrrha Absinthium Hyssopum Apij semen Piper Ligustri flores	ex vino hausta.

Palumborum aridum fimum cum nardo ex vino sumptum.

MATTHIOLI.

Butyrum cum mulsa potum, & vomitione reiectum.
Gallinarum & anatum adeps ex hydromelite potus, & vomitu redditus.
Amygdalinum oleum copiose potum.
Hydromel clystere infusum.
Apij succus ventriculo inunctus.
Butyrum ventri illitum.

Lathyris

Lathyris ſemen duarum drachmarum pondere hauſtum.

DIOSCORIDIS.

Ad argentum viuum.

Lac copioſè potum.
Simplicia omnia quæ faciunt ad argenti ſpumam.

MATTHIOLI.

Lac bubulum cum ſuo butyro potum.
Amygdalinum oleum ebibitum.
Aurum in puluerem ſubtiliter tritum hauſtum.

MATTHIOLI.

Ad argentum viuum ſublimatum, præcipitatúmque & cinnabarim.

Lac bubulum cum ſuo butyro potum, & vomitione redditum.
Antidota omnia quæ ad cantharidum noxam faciunt.

DIOSCORIDIS.

Ad calcem, ſandaracham, & auripigmentum.

Lac ex aqua mulſa potum, & vomitu reiectum.
Carnium iura pinguia hauſta.
Althææ } decoctum ad ſpiſſitudinem
Maluæ } redactum epotum.

Tragi herbæ ſemen potum.
Seminis lini decoctum potui datum.
Orizæ decoctum hauſtum.

MATTHIOLI.

Lac abunde potum.

Butyrum Iûs carnium pinguium Animalium pinguedines Medicamenta aluum lubricantia	copioſè epota.

Seminis	Maluæ Althææ Pſyllij Lini Fœnugræci	mucagines.

Antidota omnia, quæ ad cantharidum noxam faciunt.

MATTHIOLI.

Ad anacardia.

